This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

600077835-

STATUTI ED ORDINAZIONI

DEL

COMUNE DI CARPENETO

ALTO MONFERRATO

CIRCONDARIO D'ACQUI PROVINCIA D'ALESSANDRIA

PUBBLICATI ED ANNOTATI

DAL PROF.

GIUSEPPE FERRARO

Poichè la carità del natio loco
Mi strinse, raunai le fronde sparse
DANTE, *Inf.* C. XIV.

MONDOVÌ

TIPOGRAFIA DI GIOVANNI ISSOGLIO E C.

1874

A SUA ECCELLENZA

L'AMBASCIATORE DEGLI STATI UNITI D'AMERICA

GIORGIO MARSH

BENEMERITO DELLA CIVILTÀ NELLA SUA PATRIA

ED IN EUROPA

GIUSEPPE FERRARO

DEDICA

1874

PREFAZIONE

Io credo che i miei compaesani quando conosceranno l'importanza della pubblicazione degli statuti di Carpeneto (destinati forse ad essere, senza le fatiche mie, perduti ed obliati per sempre), mi avranno quella gratitudine che io ho sperato durante il mio lavoro. Nè sarà inutile per la storia nazionale la pubblicazione degli antichi statuti di un Comune ordinato e governato, quantunque piccolo, nè più nè meno come se fosse Milano, Firenze, o Genova nei loro più bei tempi. La bontà dei costumi, l'ubbidienza alle savie e sensate leggi, l'amore del lavoro e della patria produssero un dì la forza, la potenza e la superiorità d'Italia sopra tutte le nazioni, nelle armi, nel commercio, nelle lettere, nelle Belle arti. I vanti di un tempo passato però a nulla giovano. Come la terra si inselvatichisce e diventa infruttifera quando l'uomo cessa di lavorarla, così la prosperità, la ricchezza, la civiltà fuggono da quelle nazioni dove l'ozio, padre dei vizi, si è stabilito sotto tutte le forme.

Possano questi statuti pertanto dimostrare una volta di più agli Italiani che gli stati sono come gli individui gli artefici del proprio destino: mentre io ho caro di aver pagato con essi, nella misura delle mie forze, questo tenue, ma cordiale e desiderato tributo alla mia nazione ed al mio paese natale.

Prof. Giuseppe Ferraro

JESUS

Haec sunt statuta et ordinationes Communis et Hominum ac Universitatis loci Carpeneti. Et primo.

De Sacramento per Dominum, Potestatem, Castellanum, Rectorem et Consules Carpeneti in principio eorum regiminis praestando - Rubrica.

In primo statuerunt et ordinaverunt quod Castellanus, seu Rector et Consules in principio eorum regiminis, iurent ac sacramentum praestent, in forma infrascripta. Iuro ego Castellanus, sive Rector et Consules Carpeneti etiam iuramentum ad Sancta Dei Evangelia, regere bona fide, sine fraude, Commune et homines et personas Carpeneti ibique stantes et habitantes ac et eorum iura et bona Communis custodire, conservare, nec consentire quod alicui detur de bonis, nec avere dicti Communis alicui personae. Ac defendere (1) et manutenere viduas, pupillos, et orphanos et miserabiles personas, ac attendere et observare statuta et ordinamenta facta et fienda dicti Communis et cuiuscumque personae, secundum formam ipsorum regere ac iustitiam facere. Et ubicuique per formam ipsorum capitulorum non cedere, promissum facere ius, et iustitiam supra bonas consuetudines Carpeneti. Et ubi consuetudines deficerent, facere Ius Commune et hoc toto tempore mei et nostrum Regiminis.

II. De citatis sive vocatis in ius et venientibus et de oblatione libelli - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona petiverit ab aliqua persona aliquam quantitatem pecuniae ultra solidos centum Ianuenses, aut rem aliquam valentem ultra dictam quantitatem, teneatur petenti ab ea ipsi libellum offerre, expensis ipsius petentis dictam quantitatem pecuniae aut rem.

III. De dilatione danda respondendi libello et proponendi exceptiones suas - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si alicui personae de aliqua re aut facto fuerit oblatus libellus, statuatur terminus per Dominum, aut Potestatem Castellanum sive Consules, coram quo aut quibus dictus libellus oblatus fuerit, eidem respondendi et proponendi omnes suas exceptiones, dierum decem proxime venturorum a die oblati dicti libelli.

IV. De contestando litem super libello oblato. - Rubrica (2).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quaelibet persona, cui oblatus fuerit libellus, elapso termino sibi assignato, ad respondendum dicto libello et ad proponendum suas exceptiones, teneatur et debeat actore instante et petente supra dicto libello, litem contestare, cedendo aut negando infra dies tres postea quam petitum fuerit per actorem litem contestare. Et si infra dictum terminum dierum trium dicta lis non fuerit contestata, pronuncietur per Dominum, Potestatem aut Castellanum seu Rectorem sub quo dicta quaestio ventilabitur litem, supra dicto libello esse contestatam et pro contestata haberi debere. Et in dicta causa procedatur, ac si esset super ea lis legitime contestata. Et valeat et teneat processus et sententia qui et quae sequentur.

V. De introducendo testes in causa - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt quod si quis, aut si qua, lite contestata testes producere voluerint, det capitula sua et dare debeat, supra quibus voluerit probare alterae parti sive parti adversae infra dies V a die litis contestatae aut pro contestata habita. Et dicta capitula scribi faciat in actis curiae, quibus capitulis datis adversae parti assignetur terminus eidem parti adversae dierum V, ad faciendum et producendum sua interrogatoria, quibus terminis elapsis, quaelibet pars debeat suos testes produxisse, infra XV dies proximos subsequentes quod in dicta causa producere voluerint; et infra dictum terminum dierum XV, debeant produxisse et instrumenta quibus uti voluerint. Et ultra dictum tempus testes nec instrumenta producere non possint, nisi qui producere volens, iusto impedimento, fuerit impeditus. Quo casu cognitor dictae quaestionis, si dictum impedimentum iustum videbitur sibi, possit dictum terminum quindecim dierum prorogare, et ultra terminum testes et instrumenta recipere. Quibus testibus acceptis et examinatis, eorum dicta publicentur, partibus praesentibus, aut una praesente et altera absente, dum tamen fuerit citata.

V. De reprobando testes contra se productos, et opponendo contra eos et contra instrumenta contra se producta - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis, aut si qua, testes contra se productos, seu instrumenta contra se producta reprobare voluerit, aut contra ipsos testes, seu dicta ipsorum, seu contra dicta instrumenta opponere, habeat terminum sibi statuendum, per dictum Rectorem dierum XV, proxime venturorum. Et ab inde in antea non audiatur, sed procedatur ad ulteriora dictae quaestionis. Qui terminus reprobandi et opponendi statuatur post aperturam et publicationem dictorum testuum productorum.

VII. De non computando dies feriatos in terminis constitutis in dictis quatuor proxime praecedentibus capitulis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod in susceptis quatuor articulis proxime praecedentibus, dies feriati non computentur in terminis in eis contentis.

VIII. De definiendo causas - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Castellanus, sive Potestas, sive Rector, seu Consul, seu Consules, sub cuius aut quorum examine aliqua quaestio ventilabitur, debeat sive teneatur ipsam quaestionem definire infra sex menses proximos venturos a die contestatae litis.

IX. De appellatione fienda - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis, aut si qua, ab aliqua sententia contra se lata appellare voluerit, seu ipsam sententiam dicere nullam, appellare ab ea, seu dicere nullam, debeat infra dies X proximos venturos a die dictae sententiae latae. Alioquin dicta sententia maneat firma et executioni mandetur.

X. De appellatione prosequenda - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis, aut si qua, appellaverit ab aliqua sententia contra se lata, teneatur et debeat prosequi dictam appellationem coram Iudice ad quem fuerit appellatum et ad quem debuit appellare, infra duos menses a die interpositae appellationis proximos venturos. Et Rector, ad quem fuerit appellatum, teneatur et debeat dare, seu dari facere appellanti apostolos, sive litteras dimissorias et acta causae praesentandas et praesentanda dicto Iudici, ad quem fuerit appellatum. Et si dictam sententiam nullam dixerit, teneatur infra dictum tempus duorum mensium computandorum a die qua dixerit dictam sententiam nullam, dictam causam nullitatis prosequi et finire. Et si dicta causa appellationis non fuerit infra dictum tempus definita, sententia lata firma maneat et executioni mandetur. Et item intelligatur, et esse debeat de causa nullitatis.

XI. De impensis in causa factis restituendis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod victus victori semper condemnetur in expensis, per victorem in causa factis, facta taxatione supra ipsis expensis, pro Rectore sub quo dicta causa ventilabitur, et sacramento praestato a victore quod expensas fecit usque in dictam quantitatem taxatam.

XII. De pœna citati non comparentis ad instantiam alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona citata fuerit, ut comparere debeat, coram Domino, Potestate, sive Castellano, Consulibusque, sive Rectore, et non comparuerit ad terminum sibi datum, solvat pro banno solidos duos dertonenses; si vero ille qui ipsam fecerit citare comparuerit, et ipsum in contumacia accusaverit. Et hoc intelligatur si persona citata fuerit personaliter, aut ad domum suae habitationis et fuerit in Carpeneto. Et si persona citata comparuerit et steterit usque ad terminum sibi assignatum, persona, quae ipsam fecerit citare non comparente, solvat illa persona non comparens solidos duos dertonenses si de sua contumacia fuerit accusata.

XIII. De non ponendo actione in libello - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non teneatur ponere actionem in libello. Et quod libellus si oblatus fuerit alicui personae sine specificatione seu propositione actionis, valeat et teneat ac si competens actio fuisset in dicto libello proposita.

XIV. De non dando libellum de minori quantitate solidorum centum Ianuensium (3) nec de quantitate solidorum centum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod in causis solidorum centum et ab inde infra, nec de re, aut facto, valoris quantitatis praedictae, et ab inde infra non detur libellus, sive detur reo convento, si petierit terminum dierum V deliberationis, super eo quod ab ipso petitum fuerit. Quo termino elapso, compellatur et compelli debeat, per Rectorem sub quo dicta quaestio fuerit, reus conventus confiteri aut negare illud quod ab ipso petitum fuerit. Et procedatur ad definitionem dictae quaestionis summarie et de plano prout melius videbitur dicto Rectori, et brevius. Teneatur tum actor causam exprimere crediti rei aut facti, quam aut quod petierit.

XV. De solvendo iudicaturas - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod cuiuslibet quantitatis pecuniae, rei, seu facti, videlicet aestimationis ipsius sive valoris super qua aut quibus lis fuerit contestata per negationem rei conventi, aut pro contestata habita; incontinenti facta contestatione praedicta acquitentur iudicaturae, videlicet denariorum XII pro libra, qualibet quantitatis praedictae et monetae petitae, quam iudicaturam totam solvat et solvere debeat persona quae succubuerit. Et si partes se accordarent, seu in dicta causa ad definitionem procedere nollerent, solvant et solvere debeant communiter, scilicet quaelibet pars medietatem dictae iudicaturae. Quae iudicatura acquitari sive solvi debeat penes Clavarium Communis Carpeneti.

XVI. De termino statuendo in causis ad producendum omnia eorum iura - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod elapso termino assignato, ad reprobandum testes, et ad opponendum contra dicta ipsorum, et contra instrumenta productos et producta in causa seu causis, ut continetur in capitulo supra posito, sub rubrica quae incipit de reprobando testes et caetera: Statuatur terminus dierum decem proximorum venturorum, et peremptorie, ad producendum omnia eorum iura, quo termino elapso, concludatur in causa, et statuatur alius terminus octo dierum partibus ad dandum confidentes iudices, et suspectos, et ad producendum allegationes suas. Quo termino elapso, liquidentur scripturae et acta causae, et mittatur consultori, videlicet illi de quo partes fuerint confidentes. Et si de aliquo non fuerint confidentes, mittantur per Rectorem sub quo dicta quaestio ventilabitur, illi Iudici quem Rector elegerit, et sibi placuerit secrete. Taliter quod partes de ipso Iudice nesciant, faciendo iurare nuncium, per quem dictae scripturae et acta praedicta mittentur, de non dicendo alicui personae ad quem locum vadat, neque ad quem Iudicem dictas scripturas et acta praedicta portet. Sane intellecto quod non mittantur dictae scripturae alicui qui datus fuerit suspectus.

XVII. De non dando ultra quatuor suspectos pro qualibet parte ultra illos, cum quibus dictae partes habuerint consilium, qui et habent pro suspectis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod ad definitionem alicuius causae non possint dari pro qualibet parte ultra quatuor Iudices suspecti, exceptis illis Iudicibus, cum quibus partes habuerint consilium qui et habent per suspectos, nisi partes de ipsis, seu aliquo ipsorum essent concordes.

XVIII. De compellendo litigantes ad acquitandum et deponendum salarium consultoris in pecunia numerata - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod partes litigantes compellantur et compelli debeant, remediis opportunis per Dominum, seu Potestatem, sive Castellanum aut Consules, seu per alterum ipsorum, sub quo quaestio ventilabitur, seu ventilatur, ad deponendum salarium consultoris, cui dicta quaestio commissa fuerit consulenda prout taxatum fuerit, per ipsos Dominum, Potestatem, aut Rectorem, seu alterum ipsorum cognitorem dictae quaestionis. Quod salarium taxari debeat plus aut minus, considerata conditione litigantium, et quantitate et qualitate pecuniae aut rei, seu facti, petitae aut petiti, de qua aut quibus erit quaestio.

XIX De faciendo iurare litigantes partes, quin definitio questionis committatur consulenda alicui ludici, de manifestando et nominando omnes suspectos iudices, cum quibus consilium habuerint - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quotiescumque contingat, Dominum, Rectorem, seu Rectores sub quo aut sub quibus aliqua quaestio ventilabitur, ipsam quaestionem velle, seu debere mittere, seu committere, alicui iudici consulendam; faciant, sive faciat sibi manifestari a partibus, sub sacramento ab ipsis partibus prius praestato, omnes iudices cum quibus ipsae partes, et quaelibet ipsarum, habuerint consilium.

XX. De citatis in iure et non venientibus - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona citata fuerit ad instantiam alicuius, et non veniet coram Rectore, seu ius reddente sub quo ad veniendum fuerit citata, ad terminum sibi assignatum per nuncium Communis; citetur iterato bis assignando sibi secundam dilationem duorum dierum, per litteram aut ad domum habitationis ipsius. Et si ad dictum terminum non venerit, assignetur sibi alius terminus, sive alia dilatio aliorum duorum dierum ad comparendum et ad respondendum de iure, illi qui ipsam citare fecerit. Et si non comparuerit coram eo, sub quo fuit citata (4) ad comparendum, ponatur actor in possessione bonorum expeditorum praedictae personae non comparentis, pro mensura sui crediti declarati et petiti et expensis, facta prius fide de ipso credito. Et si rem petat ponatur in possessionem rei petitae. Et istud capitulum locum habeat in personis citatis, et non comparentibus existentibus in Carpeneto aut in posse, aut in sic vicinis partibus, quod de dictis citationibus, possit persona citata habere notitiam; aut quod sit verisimile notitiam habere posse, secundum quod videbitur Rectori, seu ius reddenti coram quo dicta persona citata fuerit.

XXI. De recuperando possessionem seu tenutam datam ex forma capituli proxime praecedentis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona missa fuerit in possessionem, seu tenutam bonorum alicuius, secundum superpositi capituli proxime praecedentis, et ille de cuius bonis dicta possessio rerum immobilium data fuerit, et se praesentaverit coram Domino seu Rectore, sive Consulibus Carpeneti, seu altero ipsorum, infra annum unum a die possessionis datae seu tenutae praedictae, volens recuperare dictam possessionem, ipsam recuperare possit, et debeat restitutis expensis, prius illi cui data fuerit possessio praedicta, factis occasione dictae tenutae, et facta fideiussione de iudicio sisti. Et si infra

dictum tempus dicti anni non comparuerit, detur in solutum illi, cui data fuerit, dicta possessio, de bonis praedictis per Æstimatores Communis Carpeneti, tantum quod valeat quantitatem petitam et expensam, facta fide de debito et per petentem corporali praestituto sacramento, quod recipere debet ipse petens. Et quod sibi non fuit satisfactum in totum nec in parte de dicto debito. Et si missus fuerit in possessionem, de aliqua re petita sibi confirmet dicta possessio per dictum Rectorem, ex secundo decto. Et si possessio data fuerit de rebus mobilibus, ipsam possessionem recuperare possit infra mensem unum a die datae possessionis, restitutis prius expensis, et facta fideiussione idonea de iudicio sisti ut supra.

XXII. De bonis vacantibus et de curatore dando - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, si bona alicuius fuerint vacantia, propter mortem aut absentiam, et aliqua persona ius petere voluerit in dictis bonis, praeconizetur ad ipsius instantiam ex parte Rectoris Carpeneti: quod si aliqua persona est haeres, aut esse vult, dictae personae mortuae aut absentis, seu contradicere ne detur curator bonis praedictis, comparere debeat coram ipso Rectore a die dictae causae, usque ad dies decem proxime venientes, pro primo secundo et tertio termino et peremptorie. Et praedicta denuncientur filiis, et parentibus, et attinentibus dictae personae mortuae ac absentis si qui habuerint in Carpeneto. Et si nemo comparuerit ad instantiam ius petentis, aut petere volentis ius, in dictis bonis, per dictum Rectorem detur et constituatur, curator dictis bonis qui curator facere debeat de dictis bonis inventarium, quo facto, petens, seu quislibet petere volens, ius agat et agere possit contra dictum curatorem, sicuti ageret contra ipsam personam mortuam, si viveret, et contra personam absentem, si praesens esset.

XXIII. De procedendo in causa ad instantiam rei conventi auctore nolente aut recusante in dicta causa procedere - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si alicui personae oblatus fuerit libellus sive petito per actorem in personali, aut reali actione, et actor in dicta causa persistere noluerit, teneatur Potestas sive Officialis, coram quo dictus libellus fuerit, sive dicta causa ventilabitur, ad instantiam rei conventi procedere in dicta causa, sive lis contestata fuerit, sive non, et definitivam sententiam proferre, ipsius actoris recusantis in ea absentia, sive recusatore non obstante. Nisi ipse actor expresse in iudicio litiget, causae, supra qua aut quibus fuerit libellus oblatus, renunciaverit, et dictam renunciationem scribi fecerit coram dicto Rectore. Et nihilominus talis persona sic renuncians condonetur ipsi reo convento, in expensis legitimis, per eum factis eidem per dictum actorem restituendis, facta taxatione super ipsis, per dictum Rectorem seu Officialem, sub quo dicta quaestio ventilabitur prius, et super ipsis expensis taxatis, per ipsum reum corporali praestato sacramento.

XXIV. De instrumentis apodixiis, sententiis, laudis, arbitriis et arbitramentis executioni mandandis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus, seu Potestas, sive Officialis, sive Consul, quod nunc est, aut pro tempore fuerit in Carpeneto, teneatur et debeat ad instantiam cuiuscumque petentis summarie, et de plano, sine strepitu, et figura iudicii, executioni mandari omnia instrumenta, apodixias, lauda, arbitria, et arbitramenta cuiuscumque summae quantitatis, aut rei fuerint, aut sint infra dies X, postque petita fuerint executioni mandari. Et hoc ad instantiam cuiuslibet personae hoc petentis, et requirentis, contra debitores conventos, in dictis instrumentis, apodixiis, laudis seu sententiis, arbitriis et arbitramentis, et contra haeredes eorum et ipsorum bona pro quantitatibus seu quantitate, in ipsis seu in aliquo ipsorum contentis. Et hoc nisi contra ipsas executiones, seu aliquam ipsarum per illas personas, aut earum haeredes contra quas, petitae fuerint executioni mandari oppositae fuerint infra dictum tempus decem dierum infrascriptae exceptiones seu oppositiones, quae opponi possint et non aliae. Videlicet solutionis, seu finis, seu remissionis; pacta de ulterius non petendo falsitatis, simulationis, aut solemnitatis obmissae, seu alteram ipsarum exceptionum. Et si aliqua persona opposuerit dictas exceptiones seu aliquam ipsarum, assignetur ei terminus dierum X iuridicorum ad probandum exceptionem oppositam, seu exceptiones oppositas. Et si ad dictum terminum non probaverit exceptionem oppositam, seu exceptiones oppositas, fiat dicta executio, et teneatur restituere actori petenti expensas.

XXV. De faciendo tale ius in forensibus agentibus, seu agere volentibus, contra aliquam personam de Carpeneto, seu habitatorem Carpeneti, coram Domino, seu Potestate sive Officialibus, Carpeneti, quale fieret hominibus Carpeneti et ibi habitantibus, in terris, sive locis dictorum forensium - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod tale ius reddatur et fiat per Dominum seu Potestatem aut Officialem seu Officiales Carpeneti forensibus agentibus et petentibus contra aliquam personam de Carpeneto aut ibi habitantem, quale fit et redditur, seu fiet et reddetur in terris sive locis dictorum forensium illis de Carpeneto.

XXVI. De sequestratione fienda - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus, seu Potestas, seu Officialis, Carpeneti ad instantiam cuiuscumque personae de Carpeneto, qualibet die sive sit feriata, sive non sit feriata, teneatur et debeat sequestrare et saxire facere bona seu de bonis cuiuscumque forensis, inventa aut inventis in Carpeneto seu posse,

quem ille de Carpeneto seu ibi habitans dixerit esse suum debitorem alicuius quantitatis sive rei sive facti. Et dictum sequestrum seu res saxita sive sequestrata, relaxari non possit, neque debeat contra voluntatem illius qui eam fecerit sequestrare illi cuius fuerit nisi ipse satis dederit idonee de iudicio sisti, et iudicato solvendo coram alicui dictorum Rectorum, seu Officialium, aut non fuerit in concordia cum ipso creditore. Et ille qui dictum sequestrum, seu saximentum fieri fecit, teneatur et debeat usque ad dies dicti saximenti facti proxime venturi probare de iure suo. Videlicet illum aut illam personam, de bonis cuius dictum saximentum factum fuerit esse suum debitorem seu debitricem pro quantitate sive re aut facto pro quo aut quibus dictum saximentum fieri fecerit. Et ad dictam probationem faciendam citetur illa persona de cuius bonis dictum saximentum factum fuerit ut comparere debeat coram dictis Rectoribus, seu aliquo ipsorum, ad contradicendum et opponendum contra dictum saximentum, et ad videndum fieri dictas probationes ad terminum, qui sibi fuerit assignatus, et peremptorie. Et illa persona quae saximentum fieri fecit probationes suas facere possit si persona de cuius bonis dictum fuerit factum saximentum non comparuerit. Ac si comparuisset et si probaverit de iure suo, et illa persona contra quam de bonis ipsius factum fuerit dictum saximentum non satisfecerit ei de quantitate sive re seu facto, de qua aut quibus probaverit suum debitorem esse; sibi detur in solutum per Æstimatores Communis Carpeneti de re aut rebus seu bonis saxita aut saxitis tantum quod valeat illud quod probaverit se recipere debere, secundum formam capituli positi sub rubrica de Æstimatoribus dandis. Et si ille seu illa persona ad cuius instantiam dictum saximentum factum fuerit, non probaverit se recipere debere illud quod petierit, in toto aut in parte, relaxetur res saxita illi cuius fuerit, et condemnetur illa persona quae dictum saximentum fieri fecerit, eidem cuius res fuit in damnis interesse et expensis, quae et quas fecerit seu fecisset et substinuisset occasione dicti saximenti, facta prius super ipsis taxatione per Dominum seu Potestatem seu Officialem sub quo dicta quaestio ventilabitur. Et praestato corporali sacramento per eumdem, tantam esse quantitatem damnorum, interesse et expensas, quantas fuisse taxatas. Et dictos terminos probandi et comparendi possit Rector seu Officialis sub quo dicta quaestio ventilabitur prorogare si sibi iustum videbitur.

XXVII. De reddendo ius diebus feriatis et non feriatis, de armis, equis, cibo, potu (5) et mercede cuiuslibet laboris et quolibet praedictorum, ut inferius continetur - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quotiescumque aliqua quaestio seu quaerimonia fieret seu moveretur, coram Domino, seu Potestate, aut Consulibus vel Officialibus Carpeneti, seu aliquo ipsorum, de aliquo aut aliquibus in supra proxime posita Rubrica praedicta, quod ipsi, Dominus, Potestas, Consules, seu Officiales, sive aliquis ipsorum coram quo ipsa quaestio fuerit, possit et debeat summarie et de plano sine oblatione libelli, et sine strepitu et figura

iudicii de praedictis et quolibet praedictorum cognoscere, pronunciare et definire diebus feriatis et non feriatis, et iuris ordine servato aut non servato, ac praecipere et mandare cuicumque sit confesso et convicto ex aliquo aut ex aliquibus de praedictis casis contentis in Rubrica praedicta huius statuti contentis, sub poenis et bannis arbitrio dicti Rectoris, sub quo dicta quaestio mota fuerit. Quod ipse recedere non debeat de platea Carpeneti, nisi prius observaverit illud quod sibi praeceptum fuerit, et satifecerit conquerenti de eo, de quo confessus aut convictus fuerit. Et si contrafecerit, incidat ipso iure in poenam et bannum, quae et quod sibi imposita et impositum fuerit, et nihilominus attendere et observare teneatur, et ad hoc compellatur et compelli debeat per impositionem poenarum et bannorum.

XXVIII. De praeceptis faciendis debitoribus confessis aut convictis per sententiam, et de terminis eisdem statuendis ad solvendum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod cuilibet debitori et debitrici confesso aut confessae, seu convicto aut convictae per sententiam, a qua de iure non esset licitum appellare, possit et debeat Dominus, Potestas, Consul seu Officialis praecipere et terminum aut terminos statuere ad solvendum illi poenae cui fuerit condemnatus, aut confessus seu convictus, usque ad decem dies proximos si debitum fuerit quantitatis librarum decem aut infra: a decem vero libris sive usque ad vigintiquinque librarum statuatur ei terminus ad solvendum dierum quindecim: a vigintiquinque vero libris supra usque ad quinquaginta libras statuatur tempus ad solvendum unius mensis: a quinquaginta vero libris sive cuiuscumque et quotiescumque quantitatis sit debitum, statuatur tempus ad solvendum duorum mensium.

XXIX. De interrogationibus in iure faciendis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quaelibet persona interrogata fuerit ad instantiam alicuius, si tenet seu possidet aliquam rem, pro qua persona interrogationem faciens, seu ad eius instantiam dixerit se convenire velle possidentem, teneatur respondere dictae interrogationi. Videlicet si possidet aut non, et ante quod sibi offeratur libellus, et procedatur ad ulteriora. Et si qua persona interrogata fuerit si est haeres alicuius, teneatur respondere si est haeres ipsius et pro qua parte; et si est haeres a testamento aut ab intestato, et hoc antequam sibi offeratur libellus. Et si responderit se esse haeredem ex toto, aut ex parte, offeratur ei libellus. Si fuerit quantitas talis pro qua debeat offerri secundum statutum positum sub Rubrica de non dando libello de minori quantitate solidorum centum. Et procedatur ad ulteriora. Et ad respondendum dictis interrogationibus, seu alterae ipsarum, statuatur tempus dierum trium et non ultra.

XXX. De contractu seu obligatione facta occasione ludi - Rubrica (6).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod ex aliquo contractu, seu pro carta facto aut facta in domo lusoris, aut obligatione inita, aut initis, facta, aut factis cum aliquibus personis, seu aliqua persona occasione ludi, seu qui aut qua processerint ex ludo seu ex causa ludi, non reddatur, neque fiat alicui petenti ius dicta de causa, seu de causis, seu cui aut quibus facta aut factae essent aut esset talis promissio, sive obligatio, sive contractus. Et quod ex tali contractu, obligatione, aut promissione ius neque actio non oriatur. Et quod ex tali contractu, obligatione aut promissione facta, aut factis, per aliquem, aut aliquos non acquiratur, neque acquiriri possit, contra taliter obligatum, aut obligatos aliquod ius: neque ex ipso, aut ipsis, contractu, obligatione, aut promissione agere possit, seu experiri, sive sit ipse contractus ipso iure nullius valoris. Et si aliqua persona conventa occasione alicuius debiti quantitatis librarum viginti Ianuensium, aut ab inde infra opposuerit contra convenientem, quod dictum debitum sit aut processerit ex ludo, seu occasione ludi, statuatur sic opponenti et convento tempus dierum decem ad praedicta probanda. Et si praedicta probaverit legitime per tres testes bonae famae, idoneos et bonae opinionis et omni exceptione maiores, absolvatur ipse conventus a petitione convenientis ipsius ex tali seu talibus contractu, promissione, seu obligatione, et absolutum esse intelligatur ipso iure.

XXXI. De arbitris, seu arbitratoribus eligendis in quaestionibus vertentibus, ut ibi fit mentio - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si lis, sive quaestio, sive controversia fuerit inter patrem et filium, sive inter fratres, sive consanguineos, aut affines masculini, aut foeminini generis usque in quartum gradum inclusive, teneatur et debeat Dominus, Potestas, Consul, aut Officialis Carpeneti, qui nunc est aut pro tempore fuit ad petitionem et requisitionem cuiuslibet personae, et quarumlibet personarum petentis aut petentium ipsam quaestionem committi, et de ipsa compromissum fieri intra quam aut quas ipsa quaestio fuerit et cuiuscumque quantitatis aut rei fuerit, constringere et compellere partes ad compromittendum de ipsa quaestione seu quaestionibus in duos bonos viros, per ipsas partes eligendos, sive unum pro qualibet parte, et hoc infra tertiam diem postquam petitum fuerit, sub poena et banno arbitrio Domini, et Potestatis, Consulis, seu Officialis, a quo petitum fuerit, imponenda. Et quod dicti arbitri, seu arbitratores, qui sic electi fuerint, teneantur et debeant cognoscere, definire et sententiare quaestionem seu quaestiones, de qua aut quibus in eis compromissum fuerit ad terminum in compromisso contentum Et si in dicto compromisso non fuerit appositum tempus, teneatur sententiare infra mensem unum a die compromissi in eos facti et ab eis recepti. Et ad

praedicta ad instantiam partium seu alicuius earum cogi debeant per Rectorem seu Rectores Carpeneti, sub poena et bannis eorum arbitrio imponendis, ni iustis de causis dictis Rectoribus dicti arbitri seu arbitratores se excusaverint quaestiones praedictas seu quaestionem definire non posse. Et si dicti arbitri seu arbitratores, de dicta seu de dictis quaestione seu quaestionibus, voluerint habere consilium sapientis, compellantur et compelli debeant partes ad expensas eis dandas occasione praedicta. Et quod per ipsos super praedicta aut praedictis quaestione, seu quaestionibus sententiatum seu definitum fuerit, sententiatum seu definitum valeat, teneat et perpetuo observetur. Et pro eorum labore habeant dicti arbitri seu arbitratores a qualibet parte denarios sex pro qualibet libra quantitatis seu valoris seu rei, de qua fuerit quaestio. Et notarius, qui acta dictae quaestionis scripserit, et sententiam quae per eos lata fuerit a qualibet parte denarios tres pro qualibet librarum et non ultra. Et pro dicta quantitate dictus notarius qui electus fuerit teneatur et debeat acta et sententiam dictae quaestionis scribere. Et sententiam in publicam formam partibus pro dicta solutione dare, sub poena et banno ei imponendis, et ab eo auferendis arbitrio dicti Domini aut Potestatis, Consulis seu Rectoris.

XXXII. Quod haeres scriptus in testamento ponatur in possessionem bonorum testatoris defuncti quae tenebantur et possidebantur per dictum defunctum tempore mortis suae - Rubrica (7).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus, Potestas, Consul sive Rector Carpeneti, ad instantiam haeredis seu haeredum scripti seu scriptorum in testamento alicuius defuncti, ex toto aut ex parte, petentis seu petentium, se mitti sive poni in possessionem bonorum quae possidebantur per defunctum tempore mortis ipsius, et quae ipsius fuerunt, ostenso testamento, non cancellato, neque abolito, neque vitiato, siquidem pagina, aut figura, sive omni vituperatione appareat. Et quod sit numero legitimo testium vallatum, teneatur et debeat mittere, seu mitti facere, inducere, seu induci facere, in possessionem dictorum bonorum. Et si quis fuerit contradictorum, tunc causa inter petentes seu petentem, se mitti in possessionem ut supra, et contradicentes ventiletur et in ipsa causa procedatur, sine oblatione libelli, summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii, et acquiratur possessio illi qui potiora iura legitimis modis ostenderit.

XXXIII. De solvendo legata et fidecommissa in testamento seu codicillis relicta - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona petierit ab haerede seu haeredibus alicuius legatum, seu legata, fideicommissum, seu fideicommissa, sive relictum, sive relicta, in testamento seu codicillis, et ille aut illi a quo aut a quibus petita fuerit praedicta aut aliquod praedictorum dixerit: se esse

haeredem illius qui praedicta reliquerit, ad instantiam hoc petentis, statuatur ei terminus dierum decem ad solvendum dicta legata, seu fideicommissa, prius facta fide de dictis legatis, seu fideicommissis relictis coram Domino, Potestate, seu Rectore per confessionem haeredis, seu probationem, seu ostensionem testamenti aut codicillornm.

XXXIV. De filiofamilias sine consensu patris sui non obligando - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod filiusfamilias modo aliquo, sive causa, sine consensu patris sui, non possit se obligare in aliquo contractu, neque contractum aliquem alicuius generis aut obligationis cum aliquo aut aliquibus facere. Et si contra factus fuerit, talis contractus, seu obligatio facta aut factus per dictum filiumfamilias non valeat, neque teneat ipso iure. Et sit nullius valoris. Et talis contractus habeatur pro nullo. Nec ex eo possit actio exoriri, neque rei contra filiumfamilias. Eo salvo et intellecto quod si filiumfamilias seorsum steterit et habitaverit a patre suo, et publice negotiaretur aut mercaretur, tunc et eo casu possit ipse filiusfamilias etiam sine consensu patris sui, supra mercationem seu negotiationem quam fecerit se obligare. Et istud statutum debeat per Rectores Carpeneti inviolabiliter observari.

XXXV. De definiendo seu decidendo causas quantitatis solidorum quadraginta Ianuensium et ab inde infra per sacramentum rei aut actoris - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quotiescumque aliqua persona coram Rectore Carpeneti petierit ab aliqua persona quantitatem pecuniae solidorum quadraginta Ianuensium, aut ab inde infra, et illa persona conventa negaverit se dare debere, et actor detulerit reo sacramentum de iurando si ei debeat aut non: teneatur ipse reus sacramentum dictum suscipere et praestare; aut dictum sacramentum dicto actori si iurare voluerit referre. Et secundum quod iuratum fuerit per reum aut actorem, dicta causa absolvendo aut condemnando per Rectorem sub quo fuerit dicta quaestio decidatur et definiatur.

XXXVI De dotibus restituendis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si uxor alicuius decesserit vivente marito, nullis liberis ex dicto matrimonio relictis aut extantibus, maritus lucretur si lucrari debeat medietatem dotis dictae uxoris suae, et aliam medietatem teneatur ipse maritus restituere haeredibus dictae mulieris uxoris suae. Possit tamen ipsa mulier de medietate dictae dotis disponere in testamento et in quocumque alio contractu, pro libito voluntatis suae. Et quod ipsa mulier

de dicta medietate disposuerit, supra quemcumque contractum valeat et observetur post mortem ipsius, remanente nihilominus semper dicto marito medietate dotis et ei de lucro cedente.

XXXVII. De alimentis uxori post mortem mariti per ipsos haeredes praestandis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si alimenta fuerint alicui mulieri per eius maritum relicta, quod Potestas sive Rector Carpeneti teneatur et debeat remediis competentibus et iuridicis haeredem seu haeredes mariti dictae mulieris ad solvendum et praestandum ei alimenta relicta, prout ei fuerint relicta. Et si aliqua alimenta non fuerint ei relicta, teneantur dictus haeres seu haeredes eidem mulieri alimenta condecentia praestare secundum facultatem dotis ipsius, et ad hoc compellantur ut supra sine oblatione libelli summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii. Et hoc locum habeat dotes ipsius mulieris eidem fuerint restitutae; ad quas dotes restituendas, si fuerint in pecunia, habeat haeres seu haeredes mariti terminum unius anni a die mortis ipsius mariti. Et si fuerint in rebus immobilibus habeant terminum dierum decem ad restituendum a die mortis; post quos decem dies Rector seu Officialis Carpeneti teneatur et debeat inducere, seu induci facere dictam mulierem in possessione rerum dotalium immobilium, si per dictam mulierem ab eo fuerit petitum.

XXXVIII. De non contrahendo matrimonium cum aliquo alexandrino - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua mulier de Carpeneto, seu posse Carpeneti non audeat, aut praesumat, se maritare in aliquem alexandrinum de infrascriptis parentellis Alexandriae seu districtus: sive maritum aliquem capere de infrascriptis parentellis, seu aliqua ipsarum, alexandrinum, seu matrimonium cum aliquo alexandrino, aut contrahere ex praedictis, aut facere sive inire. Et quod nullus de Carpeneto seu habitator dicti loci, sive posse ipsius, et cuiuscumque conditionis, gradus aut status existat, audeat aut praesumat aliquam suam filiam, neptem aut proneptem aut sororem, neque cum aliquo alexandrino matrimonium contrahere; nec ei matrimonio collocare aliquam filiam, neptem, aut proneptem ipsius sive aliquam aut aliquas ipsarum, sive ipse alexandrinus habitet. Et quae persona contrafecerit in praedictis aut aliquo praedictorum sit, et incurrat poenam et bannum librarum tercentum dertonensium pro qualibet vice qua contrafecerit. Cuius poenae et banni medietas sit et esse debeat Communis Carpeneti. Et hoc statutum sit praecisum, et ipse Dominus, Potestas, Rector, seu Officialis Carpeneti et quislibet ipsorum teneatur et debeat observare et observari facere inviolabiter. Eadem poena imminente, cuiuscumque personae de Carpeneto, quae caperet sive

acciperet in uxorem aliquam mulierem, ex dictis infrascriptis parentellis seu ex aliqua ipsarum quae parentellae sunt ut sequitur (8). Crotti-Guasti (9), Deputeo (10), Lanzavegia (11), Merlani (12), Filiiruffini (13), Demarchello (14), Blanchi de Alexandria et Castroferri. In aliis vero personis quam in illis et aliqua ex dictis parentellis, seu aliquibus non habeant locum contenta in praesenti capitulo.

XXXIX. De feriis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod unaquaque die totius anni possit et debeat per Dominum, aut Potestatem, Consules, et Rectorem Carpeneti et per quemlibet ipsorum, ius reddi; exceptis diebus et temporibus infrascriptis. Videlicet a vigilia nativitatis Domini inclusive, usque ad diem Epiphaniae, ipso die excepto. Die carnisprivii (15), diebus paschalibus, resurrectionis Domini, videlicet diebus septem praecedentibus ipsum festum Paschatis et septem sequentibus. Die ascensionis Domini, die festo Pentecostes, omnibus diebus dominicis, omnibusque festivitatibus Beatae Mariae Virginis et in vigiliis ipsarum, omnibus festivitatibus Apostolorum et Evangelistarum, festivitate Omnium Sanctorum, festo Beati Georgii (16) patroni et defensoris Communis et hominum Carpeneti, festo Beatarum Catharinae et Luciae (17) virginum, Sanctorum Laurentii et Antonii. Quibus diebus et temporibus strepitus iudiciorum quiescat. Et a medio mense iunii usque ad kalendas augusti, et a medio mense septembris usque ad quintam decimam mensis octobris. Quibus diebus et temporibus in civilibus non possit ius reddi, nec in feriis rusticis, si processerit de partium voluntate. Et in praedictis et aliis solemnitatibus et in honore Dei introductis, causa necessitatis fructum laboris et mercedis, et contentis in capitulo posito sub rubrica: De reddendo ius diebus feriatis et non feriatis, de armis, equis, cibo et potu etc., possit et debeat ius reddi praesente capitulo non obstante (18). Maleficia vero omni tempore possint inquiriri et puniri et in eis procedi per Dominum aut Potestatem seu Rectorem sive Officialem Carpeneti,

XL. De satisfactione a forense praestanda - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona forensis convenire voluerit aliquam personam de Carpeneto, aut habitantem in Carpeneto aut in posse ipsius, teneatur et debeat primo et ante omnia idonee satisdare de expensis restituendis illi personae, quam convenire voluerit, aut agere contra eam, quae fieret in causa, si in causa non processerit aut iniuste victus fuerit movisse causam. Ni talis forensis possideret in territorio Carpeneti in tanta quantitate, quae sufficeret ad refectionem expensarum, damnorum et interesse, quae fierent per conventum, et quas ipse conventus sustineret, contra quem ipse forensis agere vellet. Et ni ipse forensis dictam satisdationem praestiterit, prout dictum est, non audiatur nec audiri debeat.

XLI. Quod aliquis de Carpeneto, seu habitator Carpeneti non sit, nec esse possit procurator alicuius extranei sine consensu Domini aut Potestatis sive Castellani Ipsius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona de Carpeneto, seu quae habitet in Carpeneto, in casu proxime praecedentis capituli nec in aliqua causa possit esse procuratrix alicuius extranei contra aliquam personam de Carpeneto, seu abitante ibi, sub poena et banno librarum decem dertonensium pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice. Et nihilominus quidquid actum, gestum seu factum fuerit per talem procuratorem ipso iure non valeat nec teneat. Statuentes et ordinantes quod aliqua persona de Carpeneto non debeat nec esse possit procuratrix alicuius forensis, neque procurationem accipere contra Commune Carpeneti occasione alicuius debiti, sub poena praedicta pro qualibet persona contrafaciente et vice qualibet imminenti. Sane tamen intellecto quod praedicta non vendicent sibi locum in cive, nec in habitatore Carpeneti volente suo nomine, seu nomine cuiuscumque alterius de Carpeneto seu habitantis in Carpeneto, agere seu experiri contra Commune Carpeneti et quamcumque aliam personam contra quod et quam possit agere et experiri, ac ius suum petere et consequi, supradictis in aliquo non obstantibus. Eo salvo quod Dominus Carpeneti, sive etiam Potestas, Castellanus, aut Rector, possit cuicumque personae constituere procuratorem, seu procuratores praecedenti capitulo non obstante.

XLII. De non imponendo maiorem poenam in civilibus quam in proximo infrascripto capitulo continetur - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus aut Potestas, Consul seu Officialis Carpeneti non possit imponere poenam, nec alicui praecipere in civilibus et occasione civilium quaestionum, quod aliquod faciat aut non faciat, maiorem solidorum dertonensium trium pro primo praecepto, pro secundo solidorum quinque, pro tertio solidorum decem, pro quarto solidorum viginti, et ab inde supra si praedicta praecepta contempta fuerint, possint praecipere et poenam imponere usque ad quantitatem solidorum quadraginta dertonensium et non ultra.

XLIII. De Æstimatoribus dandis super aestimis et dationibus in solutum faciendis creditoribus de bonis debitorum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona produxerit, seu ostenderit coram Domino, aut Potestate, Consule, aut Rectore Carpeneti aliquam condemnationem contra aliquam personam confessam, aut convictam, alicuius

debiti, lecta dicta condemnatione solvat debitor per bannum solidum I dertonensem si debitum fuerit solidorum X Ianuensium et ab inde infra. Ab inde vero supra usque in solidos XX Ianuenses solvat pro banno solidos duos dertonenses, Et a solidis XX supra quantamcumque quantitatem fuerit solidos V dertonenses. Et si debitor dixerit, se solvere non posse creditori in pecunia numerata, teneatur et debeat iurare de dando infra tertiam diem creditori suo in scriptis, omnia bona sua mobilia et immobilia, exceptis pannis de dorso, lecto, et armis (19). Et ipsa bona scribi faciat infra dictum tempus in actis curiae. De quibus bonis, primo mobilibus aestimetur et solutum detur creditori tantum, quod valeat quantitatem sui debiti et expensarum quae fient occasione praedicta. Et si bona mobilia non fuerint tot quod valuerit quantitatem dicti debiti, in totum seu in partem et in solutum detur dicto creditori pro eo quod defuerit, sive quod defecerit, ad satisfactionem dicti debiti de bonis immobilibus dicti debitoris datis, inscriptis, aut aliis si qua reperta fuerint, ipsum habere tantum quod valeat quantitatem sui debiti et expensae, tertium plus. Videlicet quod aestiment et in solutum dent de dictis bonis immobilibus tres nummatos pro duobus denariis. Et habeant Æstimatores pro eorum labore, de rebus mobilibus quas aestimabunt et in solutum dabunt, denarios duos pro qualibet librarum, et de rebus immobilibus denarios IV pro qualibet librarum talis monetae, qualis fuerit debitum praedictum. Eo salvo, quod si quantitas debiti esset adeo parva quae ad mensuram dicti Æstimatores non haberent, seu eis non perveniet solidum I dertonensem, pro quolibet habere debeant, et pro quolibet ipsorum solidorum duo dertonensium. Et aestimare debeant de illis bonis primo mobilibus, secundo immobilibus ut dictum est supra, de quibus magis placuerit creditori. Et possit illa persona de bonis mobilibus, cuius factum fuerit dictum aestimum, ipsa bona mobilia recuperare soluto debito et expensis pro quo, aut quibus, factum fuerit dictum aestimum, si solverit creditori aut solvere voluerit infra mensem unum a die dicti aestimi facti proxime venientis. Et si dictum aestimum factum fuerit, possit debitor sive ille de cuius bonis factum fuerit, recuperare rem et res aestimatas, si infra sex menses proxime venientes a die dicti aestimi facti, solverit aut solvere voluerit creditori debitum et expensas sive tertio plus, pro quibus factum fuerit dictum aestimum. Eo salvo quod, si ipse cui dictum aestimum factum fuerit de dictis bonis immobilibus receperit aliquos fructus, antequam sibi solvatur de debito et expensarum, quod dicti fructus sint, et esse debeant ipso iure facti sui. Et non teneatur ipsos computare, ad diminutionem dicti debiti nec expensarum.

XLIV. De bonis debitorum in solutum datis creditoribus recuperandis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si de bonis mobilibus alicuius datum fuerit in solutum creditori suo per Æstimatores (20) Communis Carpeneti,

secundum formam proxime praecedentis capituli, possit debitor ipse praedicta bona in solutum data recuperare et rehabere, si infra mensem unum a die dicti aestimi et dationis in solutum facere solverit ipsi creditori in pecunia numerata et omnes expensas per eum factas occasione dicti aestimi. Si vero de immobilibus factum fuerit aestimum et datio in solutum de bonis alicuius debitoris alicui creditori secundum formam dicti proxime supra praecedentis capituli, et dicta bona immobilia recuperare voluerit, possit debitor ea recuperare si dicto creditori infra sex menses a die dicti aestimi facti proxime venturos dederit in solutum in pecunia numerata quantitatem debiti et expensarum, pro qua et quibus dictarum rerum immobilium factum fuerit dictum aestimum, non computato in hoc tertio pluri. Quod tertium plus in dicto casu non teneatur solvere dictus debitor dicto creditori. Et si infra dictum tempus dictorum sex mensium dictus creditor de dictis rebus perceperit aliquos fructus antequam sibi solvatur per dictum debitorem illi fructus sint sui, et sibi lucro cedant sine aliqua diminutione sortis sive debiti sui et neque expensarum.

Explicit liber primus de civilibus.

XLV-VI. Sequitur liber secundus de maleficiis et criminalibus, et de procedendo in criminalibus sive maleficiis aut delictis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod super quolibet maleficio et de quolibet crimine pubblico aut privato, quod dicitur commissum in territorio, iurisdictione seu posse Carpeneti, possit Dominus, Potestas seu Officialis dicti loci procedere contra delinquentem sive delinquentes, contra inculpatum seu inculpatos tam per inquisitionem (21) et denunciationem quam per accusationem. Et si per accusationem seu denunciationem processum fuerit aut procedi contingat, possit omni tempore tam feriato quam non feriato. Exceptis diebus festivis feriatis et in honorem Dei introductis, quibus diebus et quaelibet persona inculpata de aliquo delicto, seu maleficio, detineri possit donec idonee satisfecerit, de parendo iuri et de solvendo illud in quo fuerit condemnata, si ex ipso maleficio fuerit poena pecuniaria imponenda.

XLVII. De iuramento et satisdatione (1) praestandis a quolibet accusatore tempore porrectae accusationis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona accusaverit aliquam personam, aut aliquas personas, teneatur et debeat in porrectione et datione suae accusationis corporaliter iurare, quod credit vera esse ea quae in accusatione ipsa continentur. Et teneatur coram Domino et Potestate seu Officiali

Carpeneti, coram quo dicta accusatio exhibita fuerit accusato vel accusatis de aliquo maleficio satisdare de expensis restituendis, si non probaverit contenta in ipsa accusatione, aut si destiterit ab ipsa, seu si ipsam non fuerit persecutus, aut si dicta accusatio de iure non procedetur. Et si in casibus praedictis seu aliquo ipsorum, accusatore deficiente aut non probante seu non prosequente, aut ipsa accusatione de iure non procedente, compelli debeat per Dominum aut Potestatem seu Officialem, talis accusator summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii ad restituendas expensas accusato, sive accusatis, quas iuraverit, aut iuraverint se fecisse occasione dictae accusationis. Et hoc infra octo dies post dictum iuramentum praestatum, quas expensas Dominus aut Potestas seu Officialis coram quo dicta accusatio facta fuerit, taxare debeat prout ei iustum videbitur.

XLVIII. De insultu facto ad domum seu habitationem alicuius contra aliquem - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis contra aliquem insultum fecerit ad domum seu habitationem ipsius, condemnetur et solvat nomine poenae sive banni solidos sexaginta dertonenses si insultum fecerit sine armis. Si vero cum armis, videlicet cum spata, spatono, cultello, feritorio, rampone, falcastro, lancea, rancone, baculo, aut bastono ligneo, aut falcono, seu alio genere armorum, intra quae arma non intelligatur cultellus, ni esset in toto aut in parte evaginatus, condemnetur et sit in banno librarum quinque dertonensium. Si vero intraverit domum, aut curiam illius, contra quem insultum fecerit, aut in qua habitet, condemnetur et sit in banno librarum decem dertonensium. Si vero percutiet Dominum domus, aut aliquem de eius familia, aut habitatorem ipsius domi, sine sanguinis effusione in collo aut a collo superius, condemnetur et sit in banno librarum quindecim dertonensium. Si vero a collo inferius sine sanguinis effusione, condemnetur et sit in banno librarum duodecim pro quolibet et qualibet vice. Si vero aliquis insultum fecerit contra aliquam personam sine armis, siquidem in platea Communis aut in Ecclesia aut coram Potestate, aut Officialibus Communis Carpeneti sine percussione, condemnetur et sit in banno librarum trium dertonensium. Si vero cum armis et non percusserit, condemnetur et sit in banno librarum quinque dertonensium. Si vero cum armis et percusserit sine sanguinis effusione, condemnetur et sit in banno librarum X dertonensium. Si vero quis insultum fecerit contra aliquem in aliis locis quam in praedictis, in villa, seu in castro Carpeneti, siquidem sine armis et perussione, sit in banno librarum duarum dertonensium. Si vero cum armis et percusserit sine sanguinis effusione aut laesione alicuius membri, sit in banno librarum trium dertonensium pro quolibet et qualibet vice. Si vero extra villam Carpeneti seu posse Carpeneti, aliquis contra aliquem insultum fecerit sine armis et sine percussione, sit in banno solidorum viginti dertonensium.

Si vero cum armis et percussione sine sanguinis effusione, sit in banno librarum trium dertonensium pro quolibet et qualibet vice. Siquidem cum armis et sine percussione, sit in banno pro quolibet et qualibet vice, librarum duodecim dertonensium. Si vero steterit in armis et percusserit, sit in banno et condemnetur libris duabus dertonensibus. Et non intelligatur cultellus in aliquo huius statuti esse arma, neque de genere armorum, nisi esset evaginatus in toto aut in parte. Et si quis praedicta aut aliquod praedictorum commiserit tempore noctis, aut post occasum solis, seu ante ortum solis, condemnetur in tertio pluri eius quod superius continetur. Et etiam si aliquis praedicta, aut praedictorum coram Domino Carpeneti seu ipsius praesentia commiserit, condemnetur in tertio pluri eius quod superius continetur, et eius in quo condemneretur si commisisset alibi quam coram dicto Domino aut in eius praesentiam. Et si vero aliquis insultum contra aliquem fecerit in villa seu castro Carpeneti, cum armis et sine percussione, sit in banno librarum duarum et solidorum duorum dertonensium. Et in quolibet supradictorum casuum teneatur et debeat percussor solvere et restituere percusso omnia damna et expensas, quae et quas fecisset aut sustinuisset percussus occasione percussionis seu percussionum sibi factae aut factarum in arbitrio duorum aut trium bonorum hominum per Dominum, seu Potestatem aut Officialem Carpeneti, videlicet Rectores eligendorum. Et praedicta locum habeant in maiore seu maioribus quatuordecim annorum committente, aut committentibus praedicta aut aliquod praedictorum. Minores autem quatuordecim annorum committentes praedicta aut aliquod praedictorum a se ipsis seu consensu patris, fratris seu fratrum, ad nullam poenam teneantur, nisi solum modo ad restitutionem damnorum, interesse et expensarum faciendarum, damnum passo, sive damnum passis.

XLIX. De poena butantis aliquem - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona butaverit irato animo aliquam personam et non ceciderit in terram, sit in banno solidorum viginti dertonensium pro quolibet aut qualibet vice. Et praedicta in praesenti capitulo contenta et existentia, et etiam contenta in superiori proxime capitulo intelligantur et intelligi debeant si commissa fuerint per aliquam personam Carpeneti in aliquam personam de Carpeneto, seu iurisdictione Carpeneti aut aliunde. Si vero commissa fuerint per aliquem de Carpeneto contra aliquem forensem, teneatur ad illam poenam ad quam teneretur forensis contra personam de Carpeneto commisisset in terra, de qua esset ipse forensis contra personam de Carpeneto si poena minor esset in terra dicti forensis. Si vero esset maior non teneatur propterea persona de Carpeneto nisi ad poenam, sive ad poenas contentam sive contentas in praesenti et suprascripto proxime capitulo praecedenti.

L. De non accipiendo seu extrahendo aliquem in capillis, seu per capillos irato animo - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona maior quatuordecim annis acceperit seu tiraverit aliquam personam irato animo in capillis, seu per capillos, solvat bannum pro quolibet et qualibet vice solidorum decem dertonensium, si fuerit in villa. Si vero fuerit extra villam sit in banno solidorum viginti dertonensium.

LI. De poena facientis rumorem aut rixam - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis fecerit, seu aliqui fecerint rumorem aut rixam, contendendo, seu rixando aut clamando verbis et sine armis, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum quinque dertonensium. Si vero unus contra alium irato animo iverit, aut rixando, et non percusserit, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum decem dertonensium. Et intelligatur rumor seu rixa quando duo aut plures ad invicem verbis contenderent, aut sibi dicerent verba minatoria. Aut ubi aliquis seu aliqui se poneret aut ponerent intra ipsos rixantes causa mediandi et sedandi dictum rumorem aut rixam. Et si praedicta fuerint commissa in praesentia Domini Carpeneti, dictae poenae duplicentur et duplicatae intelligantur.

LII. De non dicendo alicui verba iniuriosa - Rubrica (2).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona dixerit alicui verba iniuriosa, videlicet: latro, axaxinus, proditor, falsarius, aut periurus, aut aliquod praedictorum siquidem in praesentia Domini Carpeneti, sit in banno pro quolibet contrafaciente et qualibet vice librarum unius, solidorum decem dertonensium. In aliis vero locis solidorum viginti dertonensium. Si quis vero dixerit alicui aliqua alia verba iniuriosa, condemnetur pro quolibet et qualibet vice, si dixerit in praesentia Domini Carpeneti, solidorum quindecim dertonensium. Et si dixerit in eius absentia solidorum decem dertonensium. Si vero aliquis, seu aliqua persona, dixerit alicui mulieri nuptae, aut viduae, seu virgini honestae vitae, putana seu meretrix aut rufiana, seu aliqua alia verba iniuriosa aut turpia, seu inhonesta, sit in banno solidorum decem dertonensium pro quolibet et qualibet vice. Si quidem vero dixerit in praesentia Domini, sit in banno solidorum quindecim dertonensium.

LIII. De non blasphemando Deum neque Beatam Mariam matrem eius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si qua persona blasphemaverit Deum, aut Beatam Mariam matrem eius, cuiuscumque conditionis aut gradus fuerit,

sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum quinque dertonensium, ad quos solvendum incontinenti compellatur per Dominum seu Rectorem Carpeneti. Et quaelibet persona dummodo sit bonae famae blasphemantem, seu blasphemantes, dummodo illa sit de Carpeneto aut habitans in Carpeneto, possit accusare aut denunciare publice aut occulte, et teneatur in credentia, et ei credatur cum sacramento et cum dicto unius testis. Videlicet si persona accusata et interrogata suo sacramento negaverit blasphemasse Deum seu Virginem Mariam (3).

LIV. De non ludendo ad taxillos - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona undecuiusque sit et cuiuscumque conditionis existat, non debeat, audeat, aut praesumat aliquo modo aut causa in Carpeneto seu posse ludere ad aliquem ludum taxillorum, propterea quam ad tablas et ad scacos. Et quae persona contrafecerit sit in banno pro quolibet et qualibet vice de die solidorum viginti dertonensium, de nocte solidorum quadraginta dertonensium. Et si aliquis dictum ludum tenuerit seu ludere permiserit in domo sua propria aut conducta, aut in qua habitet, sive in curte, aut in curia, seu horto, sit in banno pro quolibet et qualibet vice si fuerit de die solidorum XX dertonensium, si vero de nocte solidorum XL dertonensium. Et quislibet bonae famae possit contrafacientes accusare et denunciare publice aut occulte. Et eius dicto, accusationi, seu denunciationi cum sacramento credatur, cum dicto unius testis bonae famae et bonae opinionis. Et sic accusatus aut accusati, denunciatus aut denunciati habeatur aut habeantur, pro confesso et confessis ac si ore proprio confessus, aut confessi fuissent lusisse, aut ludere promisisse, aut si contra eos legitime foret probatum. Salvo et sane intellecto, quod ad praedictam poenam non teneantur publici baratarii nec Henricus Bugerius, cui dicitur Piuius, qui libere et impune ludere possint. Et si quis praestiterit ad ludum denarios, aut taxillos, seu lumen fecerit, sit in banno pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum decem dertonensium de die, et de nocte solidorum viginti dertonensium. Et si quis mentem tenuerit dictis lusoribus faciendo computum de eo, quod unius alii lucrantur, aut dicendo ipsis seu alicui ipsorum quod expensisset suum, sit in banno pro quolibet et qualibet vice, de die solidorum decem dertonensium, de nocte solidorum viginti dertonensium.

LV. De non producendo falsum testem et de non proferendo falsum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona in aliqua causa civili aut criminali produxerit aliquem falsum testem, qui testis fuerit confessus aut convictus tulisse aut praehibuisse falsum testimonium, condemnetur et sit in banno, si causa fuerit civilis, aut criminalis, aut pecuniaria usque in quantitatem aut valorem librarum quinquaginta dertonensium, librarum

decem dertonensium. Si vero fuerit ab inde supra, librarum viginti quinque dertonensium pro quolibet et qualibet vice. Eadem poena sive dictis poenis imminenti seu imminentibus cuicumque testi, qui tulerit et confessus fuerit aut convictus tulisse falsum testimonium in causa aut causis, de qua aut quibus fit supra mentio in praecedenti capitulo, et in ipsas poenas incurrat. Et si contra aliquam personam fuerit falsum testimonium factum, sive testis falsus productus, et de hoc fuerint confessi aut convicti, et illa persona contra quam producti fuerint seu testimonium factum fuerit occasionibus praedictis sustinuerit aliquam poenam, seu damnum, aut fecerit aliquas expensas, quod tam producens, quam testes producti teneantur et debeant ei restituere, et ad hoc compellantur.

LVI. De non eundo per seminatum seu messem alicuius, et de non dando in ipsis damnum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona intraverit in messem seu per seminatum alicuius iverit, solvat bannum pro quolibet et qualibet vice denariorum sex dertonensium, et totidem pro menda, et plus si damnum esset plus. Quod damnum, ille cui factum fuerit, possit facere existimare per Æstimatores Communis Carpeneti. Si vero aliqua persona secuerit in messe seu seminato alicuius, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum quinque dertonensium et totidem solvat pro menda, illi cuius fuerit seminatum aut messis. Et plus si damnum esset plus. Si vero aliqua persona iverit per messem aut seminatum alicuius cum carro sit in banno solidorum trium dertonensium. Si vero cum barrocio aut arearia (4) aut aratro sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum duorum dertonensium. Et in quolibet dictorum casuum solvat totidem pro menda illi cuius fuerit seminatum aut messis, aut plus si damnum esset plus. Quod damnum, sive damna possit facere existimare per Æstimatores Communis Carpeneti, et secundum quod fuerit existimatum, compellatur persona quae damnum dederit ad solvendum et emendandum dictum damnum. Et possit Dominus rei seminatae, sive messis, seu seminati, et quislibet eius nuncius, sive famulus, eius familiae contrafacientes et contrafacientem accusare, et ei credatur cum sacramento.

LVII. De non dando damnum neque intrando in vineas alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat damnum dare in vineis alicuius. Et qui damnum dederit deportando aut caraciolios (5) sive caracias, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum quinque dertonensium. Et totidem solvat pro menda illi cui damnum praedictum dederit. Et plus si damnum esset plus. Et quislibet possit accusare contrafacientes. Et ei credatur cum sacramento de dictis accusationibus.

LVIII. De non intrando, nec ficos sive uvas capiendo, in vineis alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non audeat neque praesumat a kalendis Iulii (6) intrare in vineis, quousque fuerint vindemmiatae. Et si quae persona intraverit, solvat pro intratura solidos quinque dertonenses pro qualibet et qualibet vice. Et si ceperit aliquas uvas, solvat et solvere debeat, ultra dictum bannum solidorum quinque dertonensium, pro qualibet uva solidum unum dertonensem, et totidem pro menda illi cuius fuerit vinea. Et si praedicta, seu aliquod praedictorum commiserit de die banna, et mendas praedictas solvat. Si vero fuerit de nocte, solvat et solvere debeat dicta banna et mendas duplicata et duplicatas. Et quislibet de Carpeneto et ibi habitans, et Dominus vineae et eius familiares, et familia, contrafacientes possint accusare, et ei et eis credatur de eorum accusationibus de praedictis et quolibet praedictorum cum sacramento. Et si aliquis forensis commiserit aliquod ex his quae continentur in praesenti capitulo, seu in capitulo supra proxime praecedenti, solvat et solvere debeat banna et mendas in eis et quolibet ipsorum duplicata et duplicatas si commiserit de nocte. De die vero teneatur ad poenam ad quam teneretur ille de Carpeneto.

LIX. De non incidendo seu devastando aliquam vitem seu plantam vineae alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis aut si qua persona inciderit seu devastaverit aliquam vitem vineae fructiferam, siquidem ad pedem sive ad calcem, sit in banno pro qualibet vite solidorum quinque dertonensium. Et totidem pro menda. Si vero vitem fructiferam inciderit, aut devastaverit in catenis aut macheriis (7), sit in banno pro qualibet catena aut macherio devastata aut devastato, solidorum duorum dertonensium et totidem pro menda, et plus si damnum esset plus. Si vero inciderit, aut devastaverit aliquam plantam vineae seu plantarii nondum portantes uvas, sit in banno pro qualibet solidorum unum dertonensium, et totidem pro menda. Et si praedicta, seu aliquod praedictorum quis aut quae commiserit tempore noctis, solvat et solvere debeat praedicta banna et mendas duplicata et duplicatas. Et de praedictis et quolibet praedictorum quislibet possit accusare, et ei credatur cum sacramento de suo damno usque in quantitatem solidorum viginti dertonensium pro banno et totidem pro menda.

LX. De non incidendo aliquam arborem fructiferam alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non audeat neque praesumat incidere aut incidi facere aliquam arborem fructiferam alicuius

personae sine voluntate ipsius ad pedem seu ad calcem. Et quae persona contrafecerit sit in banno solidorum X dertonensium et totidem pro menda et plus si damnum esset plus. Si vero fuerit maioris grossitudinis duorum palmorum sit in banno solidorum viginti dertonensium pro qualibet arbore et totidem pro menda et plus si damnum esset plus. Et si quis aut si qua inciderit aliquem ramum arboris castaneae sive nucis, sit in banno pro quolibet solidorum V dertonensium et totidem solvat pro menda Domino arboris sive arborum et plus si damnum esset plus. Si vero aliquis aut aliqua, inciderit seu devastaverit arborem alberae (8), aut salicis facientem ramos grossitudinis caraciarum, sit in banno pro qualibet arbore solidorum X dertonensium et totidem solvat pro menda Domino arboris et plus si damnum esset plus. Et si ramum inciderit grossitudinis tibiae bovis, aut circa, et ab inde supra, sit in banno pro quolibet ramo solidorum II dertonensium et totidem pro menda Domino arboris, et plus si damnum esset plus. Et a dicta grossitudine infra, sit in banno solidorum I dertonensium et totidem solvat pro menda Domino arboris. Si quis vero aut si qua, inciderit seu devastaverit aliquam plantam salicis, aut alberae, seu aliud allevatum (9), ad calcem seu ad pedem sit in banno pro qualibet planta et quolibet allevato solidorum X dertonensium et totidem solvat pro menda Domino plantae, seu allevati et plus si damnum esset plus. Et praedicta locum habeant banna et mendae si quis aut si qua commiserit praedicta aut aliquod praedictorum, de die. Si vero commiserit de nocte solvat, et solvere debeat praedicta banna, et mendas duplicata et duplicatas. Et quislibet contrafacientem et contrafacientes possit accusare, et denunciare et ei credatur cum sacramento.

LXI. De non capiendo fructus sive de fructibus arboris alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis aut si qua ceperit seu exportaverit de fructibus arboris alicuius commestibilibus, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum duo dertonensium. Et totidem pro menda solvat Domino fructuum, et plus si damnum esset plus. Et si quis aut si qua devastaverit fructus arboris alicuius, solvat pro banna totidem pro quolibet contrafaciente et qualibet vice et menda. Et damnum illi cuius fuerint fructus, secundum quod iuraverit esse dictum damnum.

LXII. De non colligendo gurinos (10) super alienis salicibus - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis aut si qua colligerit gurinos super alienis salicibus, seu colligi fecerit sine voluntate illius cuius fuerint salices, sit in banno pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice solidorum V dertonensium. Et totidem solvat et solvere debeat pro menda illi cuius fuerint arbores et plus si damnum esset plus. Et quislibet possit contrafacientes accusare, et ei credatur de accusationibus quas fecerit suo sacramento.

LXIII. De non dando damnum in pratis alienis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis aut si qua de Carpeneto seu ibi habitans damnum dederit in prato alicuius, secando sive herbam colligendo solvat pro banno pro quolibet fasse, aut minus fasse, et qualibet vice, solidorum VII dertonensium et totidem pro menda et plus si damnum fuerit plus, et hoc si fuerit de die. Si vero fuerit de nocte, solvat dictum bannum et menda duplicatum et duplicatam. Si vero aliquis forensis, praedicta commiserit solvat dicta banna et dictas mendas duplicata et duplicatas.

LXIV. De non eundo per pratum alicuius cum carro sive barrocio sive arearia - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis aut si qua iverit per pratum alicuius, cum carro sit in banno solidorum trium dertonensium, si vero cum barrocio, aut aratoria, solidorum II dertonensium pro quolibet et qualibet vice et totidem pro menda in quolibet dictorum casuum. Et plus si damnum esset plus. Et Dominus prati et laborator ipsius, et quislibet de eius familia, contrafacientes possit accusare, et ei credatur cum sacramento, et habeat eius accusatio pro plena probatione.

LXV. De non intrando seu damnum dando in horto alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quis aut si qua intraverit in orto alicuius sine voluntate illius cuius fuerit hortus, aut quem ipse tenuerit seu possederit, et in ipso horto damnum dederit seu de caulibus ceperit herbis, aut porris, raponis (11), sive rapis aleo sive aleis, caepe aut caepis, seu de aliquibus hortaliis, in ipso horto existentibus solvat et solvere debeat pro banno et pro qualibet persona contrafaciente, et qualibet vice, solidorum V dertonensinm, et totidem solvat Domino horti, seu ipsum tenenti aut possidenti pro menda et plus si damnum esset plus. Et in quolibet dictorum casuum quislibet possit accusare, et denunciare contrafacientes et contrafacientem et credatur accusatori sacramento, et stetur eius accusationi et habeatur eius accusatio pro plena et legitima probatione. Et si quis aut si qua praedicta aut aliquod praedictorum commiserit, tempore noctis, solvat praedicta banna et mendas, duplicata et duplicatas.

LXVI. De animalibus et bestiis intrantibus seu damnum dantibus in rebus alienis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si bos aut vacca, seu aliqua bestia bovina, equus vel equa, mulus aut mula, asinus aut asina, porcus aut porca,

seu aliqua bestia alicuius generis dictorum animalium, sive sit parva, sive magna, intraverit in terram sive campum alicuius, seminatum aut seminatam, grano aut fabis seu alicuius generis avenae, aut leguminum, seu gueimi (12), aut in prato alicuius, sit in banno Dominus animalis pro qualibet bestia bovina et qualibet vice denariorum quatuor et totidem pro menda Domino rei, et plus si damnum esset plus. Et pro qualibet bestia equina seu mulina, asinina aut porcina, et qualibet vice denariorum quatuor dertonensium et totidem pro menda. Et si aliqua dictarum bestiarum intraverit seu inventa fuerit in seminatu seu in prato alicuius pascendo sine custodia, sit in banno Dominus bestiae seu bestiarum, pro qualibet bestia inventa sine custodia et qualibet vice, solidorum duorum dertonensium, et totidem pro menda. Et si dictae bestiae habuerint custodiam pascendo, et dicta custodia non expulerit ipsas bestias et quamlibet ipsarum incontinenti de seminatu, seu prato aut alio damno in quo intraverit, steterit, seu fuerit, solvat Dominus ipsarum pro qualibet bestia et qualibet vice, pro banno solidos duos dertonenses et totidem pro menda, Domino rei, et plus si damnum esset plus, cui damnum datum fuerit seu in prato aut seminatu cuius inventae fuerint, seu intraverint sine custodia aut cum custodia non expellente ipsas de dicto seminatu seu prato. Et Dominus terrae seminatae sive prati, et eius nuncii et familia possint dictas bestias et quaslibet ipsarum accusare, et ei et eis credatur cum sacramento.

LXVII. De poena pecudum et caprarum damnum dantium - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua pecus, agna aut agnus, seu aries, capra, seu hircus, capretus, seu capreta, seu aliqua bestia de genere dictorum animalium, intraverit in terram alicuius seminatam aliquo genere blavae, gueimi aut leguminum, sit in banno Dominus bestiae sive bestiarum pro qualibet bestia et vice denariorum I dertonensium et totidem pro menda, et plus si damnum esset plus. Et si dictae bestiae in dictis rebus fuerint inventae sine custodia aut cum custodia, et ipsa custodia ipsas non expelleret de damno incontinenti sit in banno Dominus ipsarum pro qualibet bestia et qualibet vice in quolibet dictorum casuum denariorum quatuor dertonensium, et totidem pro menda, et plus si damnum esset plus. Et Dominus possessionis sive rei aut eius nuncius et quislibet de eius familia, in omnibus praedictis casibus possit accusare et denunciare dicta animalia quae damnum dederint, vel sciverit dedisse, et ei credatur cum sacramento. Eo salvo, quod pecudes pascere possint sine poena et banno in pratis quae sunt ultra, sive desubter cercam funtanae Communis (13) Carpeneti, a festo Sancti Martini (14) usque ad kalendas martii.

LXVIII. De poena troiarum et porcorum runcantium (15) in pratis alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si porci aut troiae alicuius runcaverint in pratis, seu hortis alienis, sit in banno Dominus pro quolibet porco,

seu troia qui et quae runchaverit, pro quolibet et qualibet vice, solidorum I dertonensium et totidem pro menda.

LXIX. De poena animalium sive bestiarum intrantium sive quae inventae fuerint in vineis alienis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua bestia bovina, aut vaccina equina, asinina, mulina, pecudina, aut caprina sive sit magna sive parva, seu aliqua alia bestia, de aliquo dictorum generum bestiarum aut alicuius earum intraverit in vineam seu hortum alicuius, sive dederit damnum, sive non, sit in banno in vinea pro qualibet bestia et qualibet vice Dominus ipsius solidorum I dertonensium et totidem pro menda (et in horto) denariorum I dertonensium, pro qualibet supradictarum bestiarum et qualibet vice.

LXX. De bestiis pascentibus in pratis sine banno - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod bestiae equinae bovinae, mulinae, asininae pascere possint in pratis sine poena et banno a die sancti Michaelis usque ad Kalendas Martii. Et ita intelligatur de pecudibus et capris, non obstante capitulo posito sub rubrica: *De poena pecudum et caprarum damna dantium.*

LXXI. De ochis sive anseribus dantibus damnum - Rubrica (16).

Item statuerunt et ordinaverunt quod si ochi, aut ochae, sive sint parvae sive magnae intraverint, seu inventae fuerint in alienis hortis, sive seminatis cuiuscumque generis seminis sint, sive blavae, sit in banno Dominus ipsarum bestiarum pro quolibet ocho, et qualibet ocha, et qualibet vice denariorum III dertonensium et totidem pro menda. Si vero fuerint in vineis tempore quo fuerint uvae in eis, solvat Dominus ipsarum denarios tres dertonenses et totidem pro menda et plus si damnum esset plus, in omnibus praedictorum casuum.

LXXII. De non incidendo seu devastando clausuram, aut garobolum alicuius (17) - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona, sive sit parva, sive magna, inciderit aut devastaverit, seu incidi, aut devastari fecerit, garobolum aut clausuram alicuius, seu aliquod de ipso garobolo aut clausura acceperit, aut devastaverit, seu inciderit, sit in banno pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice solidorum trium dertonensium, et ultra hoc teneatur et debeat dictum garobolum et clausuram in eo statu et in ea bonitate reficere, in quo et in qua erat sub poena per Rectorem Carpeneti imponenda ad terminum sibi statuendum.

quae poena sit et esset debeat solidorum I dertonensium pro quolibet die quo steterit ad reficiendum. Et eo casu quo, ceperit aut inciderit de dicto garobolo, aut clausura, incidat in poenam praedictam, si ob id fuerit deterioratus, aliter non.

LXXIII. De non vendendo aliquam possessionem sive rem immobilem alicui forensi per perticas viginti quinque iuxta aut prope confinia - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod nulla persona, sive quod nullus de Carpeneto, seu habitans in Carpeneto, faciat alicui forensi venditionem, donationem, seu alienationem, sive cum ipso forense aliquem contractum venditionis, sive donationis, seu alienationis. Largo modo alienationis ibi sumpto, faciat, seu ineat, alicuius rei sive possessionis immobilis existentis in posse, territorio, seu iurisdictione Carpeneti per viginti quinque perticas iustae mensurae, prope seu iuxta alicuius poderii, aut terrae seu villae confinantis, seu consortiantis posse seu territorio Carpeneti, sub poena et banno pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice librarum decem dertonensium, et ultra in ammissione rei sic venditae seu donatae, sive alienatae, sive cuius aliquis contractus factus fuerit cum aliquo forensi per quem dominium transferatur. Cuius poenae medietas sit et esse debeat Domini castri et villae Carpeneti, et alia medietas sit et esse debeat Communis et hominum Carpeneti.

LXXIV. De non solventibus fodrum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quod fodrum fuerit impositum per Commune Carpeneti, quaelibet persona habens terras seu possessiones in posse seu districtu Carpeneti, teneatur et debeat ipsum fodrum solvere ad terminum ordinatum secundum impositionem sibi factam pro qualibet librarum sui registri, sive aestimi, sub poena quae per dictum Commune fuerit ordinata seu imposita. Et si ad dictum terminum non solverit, seu solvere recusaverit, et aliqua persona de Carpeneto seu habitans in Carpeneto, terras laboraverit, sive possessiones dictae personae dictum fodrum non solventis, aut solvere recusantis, teneatur et debeat ipsum fodrum cum bannis, quae fuerint imposita et cum quarto pluri solvere. Et si plures fuerint laborantes, ad illud idem omnis teneatur, et compellatur et compelli debeat per Dominum, aut Potestatem seu Rectorem Carpeneti, sive Consules, sive per quemlibet eorum, pro rata secundum plus aut minus laboraverint. Et si forte aliqua persona de Carpeneto seu ibi habitans, non laboraverit dictas terras, seu possessiones non solventis, seu solvere non volentis, seu solvere recusantis, et reperiretur aliqua persona de Carpeneto, seu habitans in Carpeneto, habens aliquod de bonis suis mobilibus, de quibus possit solvi dictum fodrum, teneatur et debeat ipsa persona

dictas res mobiles manifestare Rectori Carpeneti, sive Consuli, et Collectori dicti fodri. Et si Consuli, sive Consulibus et Collectori praedicti fodri placuerit et visum fuerit pro meliori dictas res mobiles capere et de ipsis venditionem facere usque ad satisfactionem dicti fodri, bannorum, et poenarum, hoc facere possint et eis licitum sit aut de hoc faciant secundum ordinationem Consilii Communis Carpeneti, in quo Consilio debeant praedicta notificare.

Et eo casu, quo aliqua persona non laboraverit, seu de bonis mobilibus ipsius non solventis repertum non fuerit, seu eo casu, quo non deliberatum fuerit capere de dictis bonis mobilibus, quod Dominus, sive Potestas, Officialis sive Consul Carpeneti, teneatur et debeat aestimari facere de bonis illius, qui dictum fodrum non solverit, seu solvere recusaverit, et in solutum dari ditiori consorti, de quibus magis sibi placuerit tantum, quod valeat quantitatem dicti fodri bannorum et poenarum, quarti pluris, expensarum quae factae fuerint occasione dicti aestimi tam in Notario quam in Mensuratore et Æstimatoribus. Quas quantitates fodri, bannorum, poenarum quarti, et expensarum dictus ditior consors solvere teneatur et ei aestimetur et in solutum detur tantum quod valeat dictas quantitates et ultra tertium plus. Videlicet quod ei detur et aestimetur tres solidos pro duobus denariorum. Et antequam dictum aestimum fiat, denuncietur illi personae quae dictum fodrum solvere debuerit, sive Domni seu familiae ipsius aut per litteras Rectoris, sive Consulis et Communis Carpeneti, scribatur Domino sive Consuli illius loci in quo habitat illa persona debens dictum fodrum solvere, aut eidem denunciare, seu denunciari facere, velit ut dictum fodrum cum bannis, poenis et quarto solvisse debeat, ad terminum qui fuerit appositus, alioquin fiat aestimum de bonis suis, ut superius continetur. Et si qua persona debens solvere dictum fodrum, habitaret longe a Carpeneto per milliaria quatuor, aut ultra, tunc et eo casu, praeconizetur per Nuncium Communis, Carpeneti, ex parte Domini, sive Potestatis, sive Castellani, seu Consulis, aut Rectoris, Carpeneti quod illa persona debeat solvisse dictum fodrum, bannum et quartum, plus deinde ad dies VIII proxime venturos pro primo, secundo et tertio termino et peremptorie. Et si non solverit ad dictum terminum, fiat aestimum ditiori consorti, de bonis ipsius ut superius continetur. Videlicet de bonis illis de quibus dictus ditior consors voluerit, et sibi placuerit. Et quod dicitur, ut supra continetur, de una persona, intelligatur idem et fiat de pluribus personis.

LXXV. Item de non solventibus fodrum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquod fodrum impositum fuerit per Commune, sive Consilium Carpeneti, quaelibet persona de Carpeneto, aut aliunde et cuiuscumque conditionis existat, habens terras seu possessiones, in territorio seu iurisdictione Carpeneti, debeat et teneatur solvisse dictum fodrum secundum quod impositum fuerit, ad terminum qui fuerit ordinatus per ipsum Commune sive Consilium, postque per Nuncium, sive Praeconem dicti Communis

fuerit citatum et praecona voce praeconizatum sub poena solidorum quinque dertonensium pro qualibet persona et quarti pluris. Et nihilominus post dictum fodrum, et bannum praedictum, et quartum plus ipsius fodri, et omnia alia banna et poenas quae per Consilium Carpeneti fuerint imposita, et ultra fiat et observetur sicuti in proxime supra praecedenti capitulo continetur, aut secundum quod per Consilium seu Commune Carpeneti fuerit ordinatum.

LXXVI. De non vendendo seu alienando aliquam possessionem de qua solvi debeat fodrum alicui personae solvere recusanti ipsum fodrum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona de Carpeneto aut ibi habitans, vendiderit seu donaverit, sive obligaverit, sive alienationem fecerit alicui personae in aliquam personam undecuiusque sit et cuiuscumque conditionis, aut gradus sive status, existet, aliquam possessionem sitam in territorio Carpeneti, de qua solvi debeat fodrum Communi Carpeneti, quemadmodum solvitur per homines Carpeneti, et illa persona quae dicta possessionem, dictis de causis seu aliqua ipsarum, seu aliqua alia de causa, acquisiverit seu habuerit, recusaverit solvere dictum fodrum, teneatur et debeat illa persona a qua habuerit, seu acquisiverit dictum fodrum solvere, prout prius solvebat, seu solvere tenebatur, antequam ipsam possessionem alienavisset, seu in aliquem transtulisset. Et nihilominus remaneat et sit dicta possessio Communi Carpeneti obligata perpetuo pro fodris solvendis.

LXXVII. De officio Clavarii - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas, sive Rector, seu Consules Carpeneti debeant et teneantur fieri facere, omni anno, aut de sex in sex mensibus unum librum, in quo scribant et scribi facere debeant omnes reditus et introitus Communis Carpeneti, et specialiter omne illud quod recepit Clavarius de bannis et introitibus dicti Communis. Et etiam in ipso libro scribantur et scribi debeant omnes expensae quae fient per ipsum Commune, sive pro ipsò, et nihil aliud in ipso scribatur. Et teneatur Clavarius Communis Carpeneti, finito suo officio, postque sequens Clavarius suum officium intraverit, infra decem dies a die dicti iuramenti proxime venturos, dare et assignare novo Clavario omnia quae habuerit penes se aut habere debuerit de avere Communis tempore suae clavariae, sub poena et banno solidorum I dertonensium pro quolibet die, quo steterit ad dandum et consignandum (18). Et nihilominus ad dandum et solvendum compellatur et compelli debeat.

LXXVIII. De poena devastantis seu deteriorantis fontem de Sancto Marito - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non audeat, nec praesumat deteriorare, nec deteriorari facere fontem de Sancto Marito. Nec

cavare, seu cavari facere terram Communis circa fontem praedictum, et quae persona contrafecerit, sit in banno pro qualibet, et qualibet vice solidorum V dertonensium. Et si qua persona proiecerit, seu proiici fecerit in dicto fonte aliquod vituperium, seu aliquam rem putridam proiecerit, aut lavaverit in ipso fonte, sit in banno pro qualibet, et qualibet vice solidorum V dertonensium. Et quaelibet persona possit accusare contrafacientes et denunciare, et sibi credatur cum sacramento, si fuerit maior quatuordecim annis et bonae famae. Eadem poena imminente cuilibet personae deterioranti puteum Communis (19), seu proiicienti, seu proiicere facienti aliquod vituperium, sive putridum in ipso puteo.

LXXIX. De non ducendo seu tenendo aliquas bestias in Ecclesia Sancti Georgii, neque in Coemeterio - Rubrica (20).

Item statuerunt atque ordinaverunt, quod aliqua persona non audeat neque praesumat ducere seu duci facere, tenere seu teneri facere, in Ecclesia Sancti Georgii seu in Coemeterio ipsius Ecclesiae aliquas bestias. Et si quae bestiae inventae fuerint in ipsa Ecclesia, seu in Coemeterio, sit in banno Dominus ipsarum denariorum quatuor dertonensium pro qualibet bestia et vice.

LXXX. De poena se deierantis sive periurantis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona se deieraverit seu periuraverit, sive se deierasse seu periurasse reperta sit, solvat et sit in banno solidorum sexaginta dertonensium pro qualibet, et qualibet vice, excepto a praedictis sacramento calumniae. Et istud capitulum non praeiudicet capitulo posito supra sub Rubrica: *De non producendo falsum testem*, neque contentis in ipso.

LXXXI. De examinando omni anno sextaria et alias mensuras - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes habentes sextaria, seu alias mensuras, apta sive aptas ad mensurandum granum et blavam debeat ipsa sextaria et alias mensuras praedictas, omni anno de mense Augusti facere examinare per illum sive illos (21), qui super hoc fuerint electus, aut electi. Et qui aut quae contrafecerit, sit in banno solidorum duorum dertonensium pro qualibet mensura et qualibet vice qua reperta fuerit non examinata.

LXXXII. De vendendo et emendo ad mensuras examinatas et iustas Communis Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes vendentes et ementes debeant vendere et emere ad iustas mensuras et examinatas Communis Carpeneti et

non ad alias mensuras, sub poena solidorum quinque dertonensium pro qualibet persona quae contrafecerit et qualibet vice. Et quaelibet persona contrafacientes possit accusare et denunciare, et eius sacramento stetur et credatur. Cuius poenae tertia pars sit Domini Carpeneti, alia tertia sit accusatoris et alia tertia sit Communis Carpeneti.

LXXXIII. De detinendo frusterios ad instantiam cuiuslibet de Carpeneto, ut iuris est - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona de Carpeneto seu habitatrix Carpeneti invenerit aliquam personam frusteriam in Carpeneto, aut posse, quam dixerit sibi aliquod debere aut facere, teneatur Potestas, sive Castellanus, sive Consul, ipsam personam frusteriam detineri facere quousque solverit aut fecerit illud quod reperta fuit solvere aut facere debere si de eo incontinenti fuerit confessa aut convicta. Et si negaret se debere solvere illud quod ab ea petitum fuerit, stet detenta donec de hoc fuerit cognitum et definitum expensis ipsius personae detentae. Et si ipsa persona frusteria idonee satisdederit, coram Potestate, aut Castellano, seu Consule Carpeneti, illi personae quae ipsam fecerit detineri, de iudicio sisti et iudicato solvendo, coram ipsis, seu altero ipsorum, relaxetur et relaxari debeat. Et si contra ius ipsam personam fecerit aliquis detineri, teneatur et debeat restituere ei omnia damna et expensas, quae et quas sustinuerit, fecerit aut habuerit occasione praedicta, secundum quod ipse iuraverit se sustinuisse et fecisse, facta prius taxatione super ipsis per dictum Dominum, Potestatem, Castellanum, seu Consulem.

LXXXIV. De officialibus eligendis et eorum salario - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod eligi debeant infrascripti Officiales Communis Carpeneti, et habeant pro eorum salario de avere Communis aut pretium, ut infra. Primo: Notarii Communis habeant pro suo salario totius anni a dicto Communi, librarum VI dertonensium. Item Clavarius habeat pro suo salario in sex mensibus, solidorum X dertonensium. Item tres Æstimatores, qui habeant denario quatuor pro qualibet libra totius eius quod aestimaverint. Et Rasonerii (22) et Notarii, qui habeant et habere debeant, pro quolibet ipsorum de qualibet ratione quam fecerint, solidorum I denariorum VI dertonensium. Item Nuncius sive Praeco, qui habeat et habere debeat, pro suo salario totius anni, pro quolibet capite domorum medium quarteronum (23) grani. Et dicti Officiales eligantur, et eligi debeant, in Consilio Communis Carpeneti.

LXXXV. De non occupando sive frangendo possessionem alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non audeat, aut praesumat, modo aliquo aut causa, occupare seu frangere possessionem alicuius, seu in eam intrare, causa seu intentione acquirendi sibi possessionem, seu ius aliquod in ea sub poena et banno librarum III dertonensium pro qualibet persona quae contrafecerit et qualibet vice. Et nihilominus possessionem occupatam aut fractam, teneatur et debeat incontinenti dimittere et relaxare illi, cuius erat. Et ad hoc compellatur et compelli debeat per Dominum, Potestatem, aut Consules Carpeneti.

LXXXVI. De non incidendo, seu exportando, seu damnum dando, per forenses in boschis, nec de boschis sitis in posse Carpeneti, aliquod extrahendo neque in aliquibus, seu de aliquibus aliis rebus - Rubrica.

Item statuernnt et ordinaverunt, quod si aliqua persona quae non fuerit de Carpeneto, seu iurisdictione Carpeneti, inciderit aut incidi fecerit ligna aut caracias in boschis positis in posse Carpeneti; acceperit, seu capi fecerit, duxerit seu duci fecerit aliquod de praedictis, solvat pro banno solidos sexaginta dertonenses et totidem pro menda de fasce, aut minus fasce inciso, seu portato, cum persona seu personis, sive dicta persona incidens vel exportans, inventa fuerit committere dictum damnum sive non dummodo inveniatur cum dictis aut aliquo praedictorum in poderio Carpeneti. Et si aliqua persona quae non sit de Carpeneto, aut iurisdictione Carpeneti inventa fuerit in poderio Carpeneti, ducendo, seu duci faciendo ligna, aut caracias, herbam, seu foenum, sive aliquod de praedictis capere, seu capi facere, incidere, seu incidi facere siquidem cum aliqua bestia asinina, equina, seu mulina, sive cum aliquibus bestiis ex praedictis, sit in banno pro qualibet bestia et qualibet vice solidorum centum dertonensium et totidem pro menda. Si vero cum carro, aut barrocio, aut truzia (24) sit in banno pro qualibet et qualibet vice librarum X et totidem pro menda. Et licitum sit cuilibet personae de Carpeneto, aut habitanti in Carpeneto, contrafacientes accusare et denunciare, et eis et ab eis pignus auferre et bestias et personas detinere sua propria auctoritate, et praedicta ducere et consignare, in virtutem Domini, aut Potestatis, aut Castellani, aut Consulum Carpeneti. Qui Dominus seu alter ipsorum debeant et teneantur praedictas personas, bestias et pignora captas custodire et personas compellere ad solutionem dictorum bannorum et mendarum praedictarum, et capienti seu capientibus de dictis inventionibus seu exportationibus, sive incisionibus et quolibet ipsorum, et de praedictis omnibus et qualibet ipsarum ei et eis credatur cum sacramento, sine aliqua alia probatione aut alia exceptione

aut defensione obstante. Eo salvo quod si persona sive personae inventa aut inventae committere, praedicta seu aliquod praedictorum committeret seu commisisset, in rebus sive re suis aut sua, de quibus aut de qua solvant fodrum in Carpeneto ad nullam poenam teneantur, si hoc probaverint. Alioquin ad praedictam poenam teneantur, videlicet si non probaverint praedicta commisisse in rebus suis, et solverint fodrum Communi Carpeneti.

LXXXVII. De incendio seu guasto sive damno facto sive dato - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si alicui personae de Carpeneto, aut habitanti in Carpeneto, factum fuerit incendium, sive guastum, seu damnum furtive, aut malo modo in aliquibus, seu de aliquibus suis rebus, et nesciretur quis ipsum fecisset aut dedisset, illud incendium, seu damnum, sive guastum ad instantiam illius personae, quae ipsum receperit, aestimetur et aestimari debeat per Æstimatores Communis Carpeneti. Et secundum quod fuerit aestimatum, emendetur et emendari debeat damnum passo occasione incendii seu guasti, sive damni, infra mensem unum, postque fuerit aestimatum de avere Communis in pecunia numerata; quod aestimum scribatur et scribi debeat in libro Curiae Communis Carpeneti. Et illa persona, cui factum fuerit dictum guastum, sive incendium, seu damnum datum, teneatur et debeat corporaliter iurare ad Sancta Dei Evangelia coram Domino, Potestate, aut Castellano, seu Consulibus, sive altero ipsorum dictum damnum, incendium, sive guastum sibi factum aut datum fuisse furtive, et se nescire quis ipsum fecerit seu dederit. Et si sciverit seu scire potuerit, aliquo tempore, quis ipsum incendium, sive guastum, seu damnum, fecerit, seu dederit, illam personam, sive personas manifestabit et denunciabit Domino, aut Potestati, sive Consulibus Carpeneti. Et si aliqua persona inventa fuerit dictum guastum, sive damnum commisisse, aut dedisse, teneatur et debeat illum emendare in duplum eius quod fuerit aestimatum. Et ultra hoc solvere pro guasto, seu damno facto aut dato, nomine poenae, sive banni, libras decem dertonenses. Quarum poenarum, seu bannorum medietas sit et esse debeat Domini Carpeneti, et alia medietas Communis Carpeneti. Et si illa persona praedicta, aut aliquod praedictorum commisisse inventa non poterit emendare, seu solvere dictam aestimationem et duplum, nec non poenas et banna praedictas et praedicta, capiatur personaliter et detineatur in carceribus donec satisfecerit et solverit omnia supradicta. Salvo et sane intellecto, quod si aestimatio incendii, seu damni, sive guasti esset seu fuerit quantitatis librarum sexaginta, aut ab inde supra, dictum Commune Carpeneti ad emendationem, seu restitutionem ipsius nullatenentis non teneatur, neque teneri debeat. Et praedicta locum habeant, si incendium, guastum, seu damnum datum, seu factum fuerit alicui personae de Carpeneto, aut aliunde, in rebus, seu de rebus existentibus in posse Carpeneti, et de quibus, seu pro quibus solvit fodrum Commune Carpeneti. Salvo et

excepto a praedictis, quod si incendium, guastum, sive damnum factum fuerit alicui personae, de rebus, sive in rebus aliquibus suis existentibus extra villam Carpeneti tempore guerrae, quod Commune Carpeneti non teneatur neque debeat illud emendare. Et si damnum per furtum, aut effusionem alicuius rei datum esset alicui in villa Carpeneti, quod dictum Commune illud damnum sic datum emendare non teneatur.

LXXXVIII. Quod aliquis de Carpeneto non fideiubeat pro aliquo forensi in aliqua causa civili, seu criminali - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona de Carpeneto, seu habitans in Carpeneto, fideiubeat neque fideiubere possit in aliqua causa, aut pro aliqua causa civili, aut criminali, pro aliqua persona quae non sit de Carpeneto, aut de iurisdictione Carpeneti. Et quod non fideiubeat pro dicta persona, de aliquo damno dato seu facto alicui personae de Carpeneto. Et si fideiusserit in praedictis casibus, aut aliquo praedictorum, ipsa fideiussio, ipso iure, sit nulla et ex ea seu occasione eius conveni non possit.

LXXXIX. De non dando damno in boschis seu nemoribus alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona de Carpeneto, seu habitans in Carpeneto, inciderit ligna aut caracias in alieno boscho, et de ipso exportaverit, sit in banno pro qualibet persona contrafaciente, et qualibet vice solidorum V dertonensium, et totidem solvat pro menda Domino boschi, et plus si damnum fuerit plus. Et si quidem exportaverit cum barrocio, aut duxerit, sit in banno solidorum X dertonensium. Si vero duxerit cum carro, sit in banno solidorum XX dertonensium, et totidem pro menda.

XC. De non dando damno in runchis, neque in spisiis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona de Carpeneto, seu quae habitet in Carpeneto, seu posse, non audeat incidere, seu incidi facere in boschis de runchis (25) nec de spisiis (26) nominatis Communi Carpeneti. Neque capere, seu exportare de lignis dictorum boschorum, seu alicuius ipsorum. Et quae persona contrafecerit, sit in banno et solvat, pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice, qua contrafecerit, in praedictis, aut aliquod praedictorum solidorum LX dertonensium, Et quaelibet persona possit accusare, et denunciare contrafacientes, et ei credatur cum sacramento et stetur eius denunciae sive accusationi.

XCI. De non petendo licentiam ducendi bestias forensium ad pascendum in poderio Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona de Carpeneto, seu quae habitet in Carpeneto non petat licentiam, nec petere debeat a Rectore seu a Consulibus, sive a Consilio Carpeneti quod aliqua persona, quae non sit de Carpeneto, sive iurisdictione Carpeneti, ducat aut licentiam habeat ducendi aliquas bestias ad pascendum in poderio Carpeneti, ni essent boves aut vaccae, quos aut quas duceret seu ducere vellet ad laborandum in dicto poderio. Et quae persona contrafecerit, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum V dertonensium.

XCII. De his qui tenentur et debent facere spalidum Communis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod non habentes sedimina, seu domos in villa seu castro Carpeneti, supra aut prope ripam fossatorum villae, seu castri, et non facientes ad defensionem dictae villae seu castri sepem aut spalidum, teneantur et debeant sepem facere aut spalidum prout eis fuerit impositum ad terminum ordinatum. Et si contrafecerint, incurrant poenam, sive bannum, quam aut quod incurreret, aut incurrit habens domum aut sedimen supra aut prope ripas dictorum fossatorum, si dictam sepem, aut spaldum non fecissent ad terminum ordinatum.

XCIII. De illis qui non faciunt prierias (27) - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod non facientes prierias eas facere debeant ad consurtios, in locis ordinatis per Commune Carpeneti prout eis fuerit impositum. Et si contrafecerint, solvant tale bannum quale solveret seu solvere deberet, ille qui prieriam facere deberet, si ipsam non fecisset.

XCIV. De non fodiendo filicem in vinea alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non fodiat neque fodi faciat in vinea alicuius filicem. Et si contrafecerit, sit in banno pro qualibet persona et qualibet vice solidorum V dertonensium, et totidem pro menda.

XCV. De personis quae possint sibi eligere camparios - Rubrica (28).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quaelibet persona de Carpeneto, et quaelibet alia persona habens possessiones in poderio Carpeneti, de quibus cum

Commune, sive Communi Carpeneti, solvat fodrum, possit et sibi licitum sit eligere unum camparium, seu plures ad custodiendum res et blavas ipsius. Et ipsi campario et ipsis campariis credatur, et credi debeat de accusationibus et denunciis, quas fecerint cum sacramento, de denunciis et accusis ipsorum, et cuilibet ipsorum stetur sine alia probatione.

XCVI. De non venientibus ad consilium - Rubrica (29).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Consiliarii Communis Carpeneti si fuerint in villa, aut castro Carpeneti, aut prope villam Carpeneti, a tractu sive per tractum unius balistae, debeant venire ad consilium quando campana Consilii pulsabitur. Et si quis ad consilium non fuerit, ante expletum sonum tertiae pulsationis dictae campanae, sit in banno pro quolibet et qualibet vice, solidorum I dertonensium. Et si quis Consiliarius iuraverit, se non audisse pulsationem dicti Consilii, aut non fuisse in dictis locis seu infra dicta confinia, quando pulsabatur ad consilium, nullum solvat bannum.

XCVII. De non stando prope plateam quando Consilium est ibi congregatum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona quae non sit de Consilio non stet, nec stare debeat prope domum plateae, quando Consilium est ibi congregatum. Stet tum a longe ut extenduntur rami ulmi, et tantum plus quantum fuerit ei praeceptum. Et quae persona contrafecerit, sit in banno pro quolibet et qualibet vice denariorum VI dertonensium.

XCVIII. De scandalio seu penso Communis, et de vendendo et ponderando ad dictum scandalium, seu pensum venditum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omni anno vendatur et vendi debeat pensum, sive scandalium, Communis. Et omnes vendentes et ementes ad cantarium, debeant ponderare ad dictum pensum, sive scandalium, et habeat emptor dicti scandalii pro ponderatura cuiuslibet cantarii, denariorum I Ianuae quem solvere debeat emptor rei, si non fuerit de Carpeneto. Et si emptor et venditor fuerint de Carpeneto, solvant communiter dictum poenarium. Et quae persona pensaverit seu pensari fecerit, ad aliud scandalium quam ad praedictum Communis, si dictum Commune dictum scandalium habuerit, sit in banno tam vendens quam emens, pro quolibet et qualibet vice solidorum II dertonensium. Salvo quod vendentes ad minutum minus uno rubo, possint ad alia pondera iusta pensare.

XCIX. De non praecipiendo alicui personae, quod acquitet aliqua banna, ultra quae continentur in capitulis Carpeneti de commissis per Commune, secundum quod in eis continetur - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Potestas, sive Castellanus, seu Consules non possit seu possint praecipere alicui de Carpeneto quod acquitet aliquod bannum, pro aliqua re aut facto, quam aut quod commiserit, et de qua aut quo fiat mentio in statutis seu ordinamentis Communis Carpeneti, nisi secundum formam dictorum statutorum et ordinamentorum Communis Carpeneti, et si contrafactum fuerit non valeat, nec teneat ipso iure.

C. De non devastando, seu deteriorando aliquam viam Communis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat deteriorare, neque deteriorari facere aliquam viam Communis in villa, neque in territorio Carpeneti, de illis viis videlicet in quibus fuerunt positi termini, aut positi fuisse dicuntur per quemdam Guillielmum Ferrarium (30) Notarium et socios. Neque in dictis viis, seu aliqua ipsarum facere, seu fieri facere fossatum, aut caveam damnificantem, seu damnificantes dictam viam, seu vias. Et quae persona contrafecerit sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum quinque dertonensium. Et si aliqua persona fecerit, seu tenuerit clausuram aliquam in dictis viis, seu aliqua ipsarum, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum duorum dertonensium. Et nihilominus teneatur dictam clausuram amovere. Dictae viae sunt a villa Carpeneti usque ad pontem de villa (31), et usque ad pontem de Canoviis (32), et usque ad pontem de Trixenta (33), et sint et esse debeant ad minus pedibus novem.

CI. De venatoribus ducentibus canes ad venandum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqui venatores duxerint aliquos canes in alienis vineis, a kalendis iulii (34) usque quo vineae fuerint vendimmiatae, sint in banno pro quolibet cane solidorum I dertonensium, canem quem duxerint et intraverint in dictas vineas. Et si quis canis alicuius, quem dicti venatores secum non duxerint in dictis vineis intraverit, sit in banno Dominus canis pro quolibet cane et qualibet vice solidorum I dertonensium.

CII. De poena recusantis dare pignora, aut nolentis dare Nuncio aut Praeconi Communis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si qua persona recusaverit dare aut noluerit Nuncio sive Pignoratori Communis Carpeneti de eo quod ab eo petiverit,

ex parte Domini, aut Potestatis aut Castellani, seu Consulis, sit in banno et solvat pro qualibet persona quae contrafecerit, et qualibet vice, pro primo praecepto solidorum trium dertonensium, pro secundo solidorum quinque, pro tertio solidorum decem dertonensium, et non ultra.

CIII. De poena guaitae et scaraguaitae - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quislibet qui esse debuit guaitam, aut scaraguaitam si non fuerit inventus ad circham (35), sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum VI dertonensium. Et si ad dictam guaitam aut scaraguaitam non iverit et non steterit tota nocte, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum V dertonensium. Et si quis ad dictam guaitam iverit supra aliquam guaitaroniam, et de ipsa guaitaronia recesserit ante diem sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum X dertonensium. Et si aliquis qui sit scaraguaita in platea, postque ibi fuerit non steterit tota nocte. si recesserit ante diem, sit in banno pro qualibet vice et qualibet persona solidorum V dertonensium.

CIV. De poena non venientis ad laborem Communis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quislibet qui est aut fuerit positus in dena, sive decena Communis, teneatur et debeat ire ad laborerium Communis aut personam sufficientem, ut ipse est, mittere pro eo semper et quandocumque pro parte Domini aut Potestatis, aut Castellani seu Consulum fuerit de eundo ad ipsum laborem praeceptum, aut ordinatum. Et si quis non fuerit inventus ad circham, sit in banno pro qualibet vice VI denariorum dertonensium. Et qui non iverit, seu inventus non fuerit ad dictum laborem in tota die, qua laboratum fuerit, sit in banno pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum V dertonensium.

CV. De poena custodum portarum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quislibet cui praeceptum fuerit quod vadat ad custodiam portarum, per Nuncium Communis et non fuerit inventus ad custodiam dictae portae, de die sit in banno pro qualibet vice qua inquisitus, fuerit, per Dominum, aut Potestatem, vel Rectorem denariorum VI dertonensium. Et si ad dictam custodiam non fuerit inventus per totam diem, sive non iverit, sit in banno quislibet contrafaciens solidorum V dertonensium. Et nihilominus die sequenti teneatur et debeat ire et facere dictam custodiam, sub poena et bannis praedictis.

CVI. De non refutando officium ad quod fuerit electus - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si contigerit per Commune, seu Consilium Carpeneti, eligi aliquem ad aliquod officium dicti Communis debeat ipsum

officium assumere, et illud non possit nec debeat refutare. Et ad ipsum officium recipiendum et assumendum debeat cogi per Dominum aut Potestatem sive Consules Carpeneti, et qui contrafecerit, sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum XX dertonensium.

CVII. De non deteriorando, seu devastando fossata, sive cerchas, aut levatas, seu sbarerias Communis Carpeneti - Rubrica (36).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliqua persona deterioraverit seu devastaverit, aut impleverit fossata, cerchas, seu levatas Communis Carpeneti, seu aliqua ipsarum, aut de ipsis aliquem palum, sive ex aliquibus ipsorum portaverit, aut amoverit, sit in banno pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice solidorum quinque dertonensium. Si vero devastaverit, aut deportaverit, seu amoverit, aut acceperit aliquam sbareriam factam, aut fieri factam per dictum Commune, sit in banno persona contrafaciens pro qualibet sbareria et qualibet vice solidorum decem dertonensium. Et nihilominus teneatur et debeat palum et palos amotum, aut amotos de fossatis sive cerchis, sbarerias sive sbareriam, amotas aut amotam, destructas aut destructam, reficere et aptare in eo statu in quo prius erant, ad terminum sibi datum sub poenis praedictis, videlicet solidorum quinque dertonensium de palo aut palis, solidorum decem de qualibet sbareria, et quislibet contrafacientes possit accusare, et ei credatur cum sacramento.

CVIII. De electione Campariorum Communis Carpeneti et eorum officio - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod per Commune sive Consilium Carpeneti omni anno de mense februarii eligantur duo Camparii aut unus. Et quod sic electi teneantur et debeant iurare corporaliter ad Sancta Dei Evangelia bona fide et sine fraude custodire et servare blavas, legumina, prata, herbas et foena et omnes alias res huiuscemodi hominum Carpeneti existentium in posse et territorio Carpeneti, pro eorum posse. Et eorum officium exercere a die qua fuerint electi usque ad terminum sui officii. Nec non denunciare et accusare omnes et singulas bestias et personas quas invenerint aut viderint, seu sciverint dantes damnum in possessionibus bladis, seminatis, leguminibus, caeterisque rebus sitis et positis in territorio Carpeneti, infra tertiam diem a die in qua invenerint, sive viderint, sive sciverint dantes damnum. Qui Camparii non possint ipsi, neque aliquis ipsorum, seu debeant per se nec per alium eorum nomine, seu per familiam ipsorum, seu alterius eorum, petere, neque recipere aliquas covas (37), neque aliquos (38) macios ab aliqua persona. Et si ipsi Camparii aut aliquis ipsorum contrafecerit aut contrafecerint, sit et sint in banno pro quolibet et qualibet vice qua contrafecerint solidorum quinque dertonensium.

CIX. De non committendo fraudem in suo officio, ad quod fuerit electus per Commune sive Consilium Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si aliquis commiserit fraudem in suo officio ad quod fuerit electus per Commune, sive per Consilium Carpeneti, solvat bannum pro quolibet contrafaciente et qualibet vice qua commiserit solidorum viginti dertonensium.

CX. De poena bestiarum pascentium seu damnum dantium, quae sint forensium, in posse Communis Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si quae bestiae forensium inventae fuerint pascere seu damnum dare in posse Carpeneti, solvat bannum Dominus dictarum bestiarum pro qualibet pecude et qualibet capra et qualibet vice solidorum duorum dertonensium et totidem pro menda. Et pro qualibet capra inventa in vineis aut castagnetis, aut ad ficus alicuius solidorum quinque dertonensium, et totidem pro menda. Et pro qualibet bestia bovina, asinina, equina, mulina, et porcina pascente, seu damnum dante in posse Carpeneti, solidorum decem et totidem pro menda. Et tantum plus pro qualibet dictarum bestiarum, quantum bestiae illorum de Carpeneto solverent intra illorum forensium.

CXI. De non vendendo aliquam terram, seu possessionem, seu alienando, quae sit in posse, seu districtu Carpeneti, alicui personae recusanti solvere fodrum - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona de Carpeneto, seu quae habitet in Carpeneto, aut aliunde sit, non debeat, audeat, aut praesumat modo aliquo, seu ingenio, vendere, donare, seu modo aliquo alienare aliquam terram, seu possessionem quae sit in poderio Carpeneti alicui personae recusanti solvere fodrum Communi Carpeneti, seu solvere contradicenti, de terris seu possessionibus, quas habet in poderio Carpeneti, neque etiam alicui personae de Montaldo audeat aut praesumat vendere, donare seu modo aliquo alienare aliquam possessionem seu possessiones positam aut positas in posse Carpeneti; et quae persona contrafecerit in praedictis aut aliquo praedictorum, sit in banno pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice solidorum viginti quinque dertonensium. Et si processerit ad venditionem, donationem seu alienationem alicuius possessionis, sit ipsa possessio sic vendita et venditae donata aut donatae, seu aliquo modo alienata aut alienatae, amissa sive perdita, ipso iure et facto Domini Carpeneti pro medietate, et Communis Carpeneti pro alia medietate, et in ipsum Dominum et Commune perveniat et pervenire debeat. Et eo casu quo dicta possessio non perveniret Communi Carpeneti, teneatur persona sic vendens, donans aut alienenans de ipsa possessione

et possessionibus perpetuo solvere fodrum Communi Carpeneti, et alias avarias facere et sustinere, quae sibi imponerentur per Commune Carpeneti pro ipsa possessione et possessionibus, sic alienata et alienatis.

CXII. De non tenendo foenum seu paleas in castro aut recepto Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat tenere foenum, neque paleas in castro aut recepto castri Carpeneti, ni teneret aut haberet in lecto, et ni ipsum foenum, aut paleas teneret in tanta quantitate, quanta sufficeret ad dandum ad comedendum bestiis quas teneret pro una die et una nocte. Et quae persona contrafecerit sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum quinque dertonensium. Et idem intelligatur quum posuerint aut tenuerint messem, ni de praedictis haberet licentiam a Domino, Potestate, sive Consulibus.

CXIII. De tempore statuto ad faciendum accusationem de damno sibi dato - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si alicui personae fuerit datum seu factum damnum aliquod, teneatur accusare dantem seu dantes dictum damnum seu guastum sibi datum, si accusare voluerit infra tertiam diem a die qua sciverit dictum damnum seu guastum sibi datum aut factum fuisse. Et ultra dictum terminum de dicto damno seu guasto accusare non possit.

CXIV. De poena intrantium in villa Carpeneti, aut exeuntium de villa Carpeneti per transversum, seu per aliam portam quam per portas apertas (39) - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona tempore guerrae non debeat intrare in villam Carpeneti, neque de ipsa villa exire per transversum sive per aliam partem, quam per portas apertas tempore noctis. Et quae persona contrafecerit, sit in banno pro qualibet et qualibet vice librarum viginti quinque dertonensium. Tempore vero pacis si qua persona contrafecerit tempore noctis sit in banno solidorum decem dertonensium. Et si qua persona transiverit sepem aut spaldum villae faciendo strazetios (40) tempore guerrae, aut andeum (41) ad fossatum causa capiendi aquam, aut causa abluendi aliquod, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum viginti dertonensium. Si vero aliqua persona tempore pacis transierit spaldum castri seu sepem villae, si fuerit de die sit in banno solidorum I dertonensium. Et si transiverit fossatum castri aut villae, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum duorum dertonensium, et quinque si fuerit de nocte. Et si tempore guerrae et de die aliqua

persona transiverit, seu exiverit de villa Carpeneti, seu in ipsam villam intraverit, transeundo spaldum et fossata per aliam partem quam per portas apertas, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum viginti dertonensium. Et si qua persona transiverit sepem aut spaldum castri aut villae de die, causa aptandi dictum spaldum aut sepem, aut spatandi aut stripandi pladium (42), aut causa aptandi aliquam canatam (43), quam ibi haberet, seu capiendi pannum aut pannos, aut aliquod aliud quod cecidisset in pladio, ad nullam poenam teneatur de praedictis et quolibet praedictorum et sibi credatur cum sacramento.

CXV. De non faciendo leamen, neque amassando, seu tenendo in viis villae seu castri Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat facere, tenere, neque amassare leamen, in viis quae fuerint in castro, et villa Carpeneti. Et quae persona contrafecerit, sit in banno solidorum III dertonensium pro quolibet et qualibet vice. Et nihilominus teneatur exportare et amovere dictum leamen.

CXVI. De non tenendo in viis Communis, quae sint in villa seu castro Carpeneti, aliquod quod noceat euntibus per viam (44) - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat tenere in viis Communis quae sint in villa seu castro Carpeneti aliquod, quod noceat seu nocere possit euntibus aut transeuntibus per dictas vias, sub poena et banno solidorum II dertonensium pro qualibet et qualibet vice. Et nihilominus teneatur amovere, et tollere dictum leamen.

CXVII. De non laborando in diebus festivis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat laborare in Carpeneto, neque in posse Carpeneti cum persona neque cum bestiis bovinis iunctis, infrascriptis festivitatibus neque in aliqua ipsorum. Videlicet in diebus dominicis, in festivitatibus Beatae Mariae Virginis et Apostolorum, et beati Georgii defensoris hominum Carpeneti, sub poena solidorum V dertonensium pro qualibet persona quae contrafecerit et quolibet festo et qualibet vice.

CXVIII. De non consulendo, arrengando, per aliquem consiliarium quod aliquid detur alicui, de avere Communis - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliquis consiliarius ex consiliariis Communis Carpeneti, non debeat, audeat, neque praesumat modo aliquo dicere

in consilio consulere, seu arrengare, quod detur alicui personae aliquod de avere Communis ni illud debite habere deberet, et de iure a dicto Communi sub poena solidorum X dertonensium pro quolibet contrafaciente et qualibet vice. Statuentes et etiam ordinantes, quod Potestas, Consules seu Castellanus Carpeneti, seu alter ipsorum non debeat neque possit propostam ponere in consilio neque partitum facere, de dando aliquod alicui de avere Communis, ni habenti habere debere ut supra. Et nihilominus talis proposta seu partitum, sic posita seu factum fuerit non valeat nec teneat ipso iure.

CXIX. Quod vendentes ad minutum ad pensum ponderare debeant ad balansias et ad libras ferreas iustas examinatas per Commune - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod vendentes ad minutum ad pensum ponderare debeant cum balansiis et libris ferreis, cum anello seu anellis examinatis ad marcum Communis Carpeneti. Et si quis contrafecerit solvat bannum pro quolibet et qualibet vice solidorum V dertonensium, et quod Potestas, Officialis, seu Consules Carpeneti teneantur et debeant praedictas libras examinari facere infra dies XV a die introitus sui officii. Et eamdem poenam incurrat quaelibet persona vendens ad minutum pro qualibet vice qua ementi sive illi cui vendiderit non ponderaverit iuste, et ius suum non dederit, et teneatur illud quod minus dederit reficere.

CXX. De beccharіis vendentibus carnes recentes - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod beccharii vendentes carnes non debeant ipsas vendere, ni prius fuerint aestimatae per rasperios (45) Communis Carpeneti. Et secundum aestimationem, quam dicti rasperii fecerint, vendere teneantur et debeant. Et si quis contrafecerit in praedictis, aut aliquo praedictorum sit in banno pro quolibet et qualibet vice solidorum X dertonensium. Qui rasparii dictis beccharіis aestimare debeant dictas carnes, secundum quod aestimatur beccharіis in Uvada (46) et de hoc procurent saepe et saepius scire veritatem.

CXXI. De non vendendo carnes morbosas - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqui vendentes carnes non debeant carnes morbosas facere, nec alicui vendere, sub poena pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum II dertonensium, et hoc intelligatur in beccharіis seu vendentibus carnes ad minutum. Salvo et excepto a praedictis, quod si quis beccharius sive vendens carnes ad minutum, intrare fecerit aliquem porchum tempore aestivo, qui reperiretur aut esset gramignosus, ipsas carnes gramignosas non debeat tenere neque vendere in loco, in quo tenet seu vendit alias carnes bonas. Et ipsas carnes gramignosas non vendat nec vendere possit,

sine licentia raspariorum et ultra pretium quo eas estimaverint, sub poena pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum II dertonensium.

CXXII. De non portando ignem contra formam infrascripti capituli - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona cuiuscumque conditionis existat, non debeat portare seu portari facere ignem a furno aut ab una domo in aliam domum, per Carpenetum seu castrum, nisi in bono vase aut idoneo et sufficienter coperto, nisi in olla non fracta, et bene cooperta de una paraside (47) seu clapa (48) vel alia re bona et sufficiente pro coopertura dictae ollae, sub poena pro qualibet persona contrafaciente, et qualibet vice solidorum V dertonensium. Et quislibet possit contrafacientes accusare, et Potestas sive Consules teneantur, saepe in principio sive introitu sui officii, praedicta facere praeconizari per Nuncium Communis Carpeneti, in locis consuetis et accusatori credatur cum sacramento.

CXXIII. De officio campariorum vinearum et eorum electione - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod per Consilium, seu per Commune Carpeneti, eligantur camparii necessarii ad custodiam vinearum. Qui camparii sic electi debeant iurare ad sancta Dei Evangelia, bene, legaliter et sine fraude pro eorum posse, custodire et servare vineas, uvas, ficus, persica et fructus suae campariae. Et dantes damnum in ipsis vineis, uvis seu fructibus denunciare et accusare, et eorum accusam scribi facere per Notarium Communis. Et ire ad custodiendum praedicta, semel omni die a die qua fuerint electi camparii, usque ad Kalendas Augusti. Et a Kalendis Augusti continue ad custodiam praedictorum stare, quousque vineae sive campariae fuerint disbanditae et inceptae vindemmiari. Et ultra per tempus dierum octo continuorum a praedicta facienda, et observanda possint dicti camparii et quislibet ipsorum compelli per Potestatem, sive Castellanum, seu Consules Carpeneti, et eis poenas imponere prout continetur in capitulo supra posito sub rubrica: *De non imponendo maiorem poenam in civilibus et criminalibus.* Et etiam praedicti camparii si non observaverint praedicta, non possint petere solutionem nec sibi ius fieri debeat de sua camparia.

CXXIV. De campariis vendentibus uvas seu fructus de vineis alicuius - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliquis camparius vinearum non vendat neque vendere praesumat uvas, nec fructus alicujus personae sub poena

pro qualibet vice qua contrafecerint, et qualibet uva et quolibet fructu quam et quem vendiderint, solidorum II dertonensium et totidem teneatur dare pro menda illi personae cuius fuerint uvae aut fructus. Et quod dicti camparii nec aliquis ipsorum, non possint seu debeant exportare, seu exportari facere per se, nec per eius familiam, nec per aliquam aliam personam aliquas uvas aut fructus de vineis alicuius, sub poena et banno pro quolibet et qualibet vice solidorum V dertonensium, et totidem pro menda et plus si damnum esset plus.

CXXV. De poena Campariorum laborantium - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Camparii Communis Carpeneti durante tempore suae campariae non possint nec debeant cum licentia nec sine licentia Domini, Potestatis, aut Officialis seu Consulum Carpeneti sive alicuius eorum, laborare sub poena pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum V dertonensium, et quislibet possit contrafacientes accusare, et ei credatur cum sacramento.

CXXVI. De Campariis amassantibus ligna - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Camparii vinearum durante tempore suae campariae non possint, neque debeant facere, neque amassare aliqua ligna, neque aucupari sive auxellare, sub poena pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum quinque dertonensium.

CXXVII. De non rapolando in vineis - Rubrica (49).

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non possit neque debeat rapolare, neque rapos colligere in vinea, neque in vineis alicuius campariae Carpeneti, ni prius omnes vineae dictae campariae fuerint vindemmiatae, sub poena pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice solidorum quinque dertonensium.

CXXVIII. De poena bubulci stantis super carro et barrocio - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quislibet bubulcus ducens boves cum carro aut barrocio per villam Carpeneti, debeat ire ante dictos boves aut tenendo manum ad temonem; et non ascendere, seu stare super carro et barrocio per dictam villam, sub poena solidorum II dertonensium pro quolibet contrafaciente et qualibet vice. Et praedicta intelligantur et intelligi debeant a kalendis aprilis usque ad kalendas octobris. Aliis vero temporibus non teneatur ad dictam poenam, si non teneret manum ad temonem propter lutum, dummodo non esset super carro aut barrocio, et esset iuxta aut prope boves.

CXXIX. De poena arrancantium seu amoventium terminos - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si qua persona arrancaverit sive amoverit, aut transmutaverit, seu arrancari, amoveri aut transmutari fecerit aliquem terminum, sive terminos, sive essent intra possessionem suam et sui consortis possessionem, sive non, sit in banno pro quolibet termino sic amoto, arrancato aut transmutato et qualibet vice solidorum LX dertonensium (50).

CXXX. De officio raspariorum seu mistralium - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod per Commune seu Consilium Carpeneti, singulis sex mensibus eligantur duo rasparii, sive mistrales. Qui sic electi, corporaliter iurare debeant ad sancta Dei Evangelia eorum officium fide bona et sine fraude exercere, et raspare sive aestimare carnes et alia victuaria, quae vendunt seu vendentur in Carpeneto, ad minutum prout eis iustum videbitur. Et quislibet persona vendens carnes, aut alia victuaria ipsas et ipsa dare et vendere debeat pro eo pretio, quo per ipsos rasparios sive mistrales fuerint aestimatae et appretiatae. Et ultra dictum pretium, eas, non vendere alicui sub poena solidorum V dertonensium pro qualibet persona contrafaciente et qualibet vice. Et quislibet contrafaciens possit accusare et ei credatur cum sacramento.

CXXXI. Quod omnes poenae et banna, limitatae et limitata, contentae et contenta in capitulis praesentis voluminis, et aliis Communis Carpeneti tam praecedentibus quam sequentibus, sint et esse intelligantur ad monetam dertonensium - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod omnes poenae et banna, limitatae et limitata, expressae et contentae sive expressa et contenta, in capitulis Communis Carpeneti tam praecedentibus, quam sequentibus sint et esse debeant et intelligantur, ac intelligi debeant ad monetam dertonensium. Nisi in aliquo dictorum capitulorum de alia moneta fieret specialis mentio, quare eo casu in ipso capitulo contento intelligatur et sit de ipsa moneta de qua specialis fieret mentio in ipso capitulo, non obstante praesenti capitulo.

CXXXII. De non extrahendo de Carpeneto causa portandi extra poderium Carpeneti pullos, gallinas, seu capones, ochas, ochos, pavaros neque ova - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona undecumque sit, et cuiuscumque conditionis existat, non debeat neque praesumat extrahere, nec extrahi facere, de Carpeneto extra posse dicti loci pullos, gallinas seu capones

ochos, ochas seu pavaros, nec ova, sub poena solidorum V dertonensium pro quolibet contrafaciente, et qualibet vice. Eo salvo quod quaelibet persona de Carpeneto, et quae sit de iurisdictione Carpeneti possit praedicta et quislibet de praedictis portare et portari facere ex Carpeneto et iurisdictione Carpeneti ad donandum cui voluerit, et ad godiendum pro se et familia sua, sine aliqua poena, et de praedictis sibi credatur cum sacramento.

CXXXIII. De poenis imponendis rixantibus ut discedant a rixa, et aliis personis, prout in proxime infrascripto capitulo continetur - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Dominus, aut Potestas, seu Officialis Carpeneti, sive Consules, si aliqui fuerint rixantes verbis tantum et sine armis possit cuilibet eorum rixantium praecipere quod discedant a rixa, aut quod recedant a dicto loco, et poenam imponere pro primo praecepto solidorum trium dertonensium. Et pro secundo solidorum quinque dertonensium, et pro tertio solidorum decem dertonensium. Et pro quarto solidorum viginti dertonensium. Et ab inde supra si dicta praecepta fuerint contempta, possit poenam imponere usque ad quantitatem solidorum sexaginta dertonensium et non ultra inclusive. Si vero rixantes fuerint cum armis, possit cuilibet ipsorum et si qui alii ad rixam cum armis currerent etiam eis currentibus et cuilibet eorum praecipere quod discedant a rixa, seu arma deponant, sive de loco in quo rixati fuerint recedant, et poenam imponere pro primo praecepto solidorum decem dertonensium. Et si contemptum fuerit pro secundo solidorum viginti dertonensium. Et si contemptum fuerit pro tertio solidorum sexaginta dertonensium. Et si contemptum fuerit possit praecipere ab inde supra, et poenam imponere, considerata qualitate facti et conditione personarum. Intra quae arma non intelligatur cultellus, nisi esset evaginatus. Insuper statuerunt et ordinaverunt, quod in aliquo casu, de quo non sit facta mentio in aliquo capitulorum Communis Carpeneti, non possit Dominus, aut Potestas, seu Consules, sive alter ipsorum praecipere alicui personae quod aliquod faciat aut non faciat, nec poenam imponere pro primo praecepto solidorum quinque dertonensium. Et si contemptum fuerit pro secundo ultra solidorum decem dertonensium. Et si contemptum fuerit pro tertio ultra solidorum viginti dertonensium. Et si contemptum fuerit pro quarto ultra solidorum quadraginta dertonensium. Et si contemptum fuerit pro quinto sexaginta, et pro sexto solidorum centum. Pro septimo ultra librarum decem dertonensium. Et a dictis vero librarum decem supra non possit alicui personae praecipere, nec alicui poenam maiorem imponere, nec praecipi, seu imponi facere, habita semper et considerata in praedictis et quolibet praedictorum praeceptorum fiendorum usque ad dictas quantitates et non ultra, qualitate facti fiendi et non fiendi, et conditione personarum, secundum quod et quam possint dicta praecepta fieri et poenae praedictae imponi et non ultra.

CXXXIV. De non transeundo infrascripta confinia quando pulsatur ad strumina (51), seu quando inimici currerint aut currerent supra poderium Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si et quando pulsabitur aliqua strumita, seu si et quando inimici currerent supra poderium Carpeneti, aliquis de Carpeneto, seu ibi habitans, non debeat, audeat, aut praesumat ire, seu transire ultra confinia infrascripta sine licentia Domini aut Potestatis, sive Rectoris, seu Consulum Carpeneti, sub poena et banno pro quolibet contrafaciente et qualibet vice solidorum quinque dertonensium. Quae confinia sunt ut ibi.

Primo: montata (52), quae est via publica eundo ad Sanctum Georgium et desubter dictam Ecclesiam, prout revolvitur et accipitur iter ad eundum ad dictam Ecclesiam. Et ab inde eundo per miram sicuti extenditur pitium (53) terrae Iacobi et Petri Bavae (54), cui terrae chircat via de Gumbinello et via qua itur ad fontem Sancti Mariti. Item deursus supra terram haeredum quondam Gricissi Ferraro, cui chircat via a duabus partibus. Item deursus Bazuaria podium (55) Petri Bavae, et haeredum quondam Ruffini Bavae, cui ipso chircat via Communis. Item deursus Cadonum et viam qua itur in Rimaiorem plantarium sive vinea Domini Antonii Spinulae (56) Domini Carpeneti. Item deursus Zunchetum (57) vinea Iacobi Rabia, cui chircat via a duabus partibus, et terra haeredum quondam Matthaei Falabrini, cui chircat via et Ecclesia Sancti Martini (58). Et sicuti extenduntur per longitudinem dicta confinia a villa Carpeneti, ita intelligantur esse confinia per similitudinem longitudinem circumquaquam dictam villam de quolibet confinio in aliud confinium (59).

CXXXV. De textoribus et textricibus - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliquis textor seu textrix de Carpeneto aut ibi habitans non debeat, audeat, aut praesumat texere neque facere aliquam telam alicui personae forensi, quae non sit de Carpeneto aut ibi habitans sub poena pro qualibet persona textrice, quae contrafecerit, et qualibet vice solidorum decem dertonensium.

CXXXVI. De solutione quam accipere debent textores et textrices - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliquis textor, seu textrix de Carpeneto, aut ibi habitans, non debeat nec possit capere, seu petere ab aliqua persona de Carpeneto, seu habitante in Carpeneto, sive posse de petia telae de lino et subtili, ultra solidos III Ianuenses et VI denarios; et de petia telae grossae de stupis aut canapa, solidos tres Ianuenses et non ultra. Et quae persona contrafecerit, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum X

dertonensium. Et eamdem poenam incurrat quaelibet persona de Carpeneto, seu ibi habitans quae alicui textori aut textrici dederit, sive soluerit de aliqua petia telae, ultra pretium supra dictum pro qualibet et qualibet vice. Et quaelibet persona contrafacientes accusare possit, et ei credatur cum sacramento, si accusator fuerit bonae famae.

CXXXVII. De poena minuenda sive minoranda se concordantibus - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod si processum fuerit per Dominum, aut Potestatem sive Rectorem, seu Consules Carpeneti contra aliquam, seu aliquas personas de Carpeneto, seu ibi habitantes, aut habitantem per inquisitionem aut denunciationem, seu accusationem occasione alicuius rixae aut rumoris sive percussionis factae ab una persona in alteram personam, aut ad invicem intra aliquas personas seu percussionum intra eas factarum, et ipsae personae contra quas dictis occasionibus aut aliqua ipsarum ut supra processum fuerit, fuerint in concordio, et remissionem de praedictis ad invicem sibi fecerint, coram Domino aut Rectore qui dictum processum fecerint, aut coram altero dictorum domini, aut Potestatis sive Rectoris seu Consulum, aut Consulis infra quintam diem a die qua dictae personae dictum suum deposuere, super dicto processu inquisitionis, aut denunciationis sive accusae. Debeat diminui dictis personis, sive personae quarta pars eius poenae, sive banni, quam aut quod solvere teneretur secundum formam statutorum Communis Carpeneti, si non fuissent in concordio.

CXXXVIII. De acquitando banna ferratiae, et dicta banna solvendo et mendas volentibus recipere et habere - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod Consules Carpeneti teneant et debeant singulis duobus mensibus, omnia banna facere acquitari penes clavarium. Quibus acquitatis, infra decem dies dicta banna teneantur et debeant excutere a debentibus ea solvere. Et dictos debentes solvere dicta banna teneantur et debeant compellere ad ea solvendum, nec non ad solvendum mendas omnibus debentibus et volentibus eas recipere, seu petentibus, ipsas mendas sibi solvi. Et si dicti Consules contrafecerint, seu praedicta non observaverint, sint in banno pro quolibet ipsorum, et qualibet vice solidorum X dertonensium.

CXXXIX. De faciendo spaldum sive sepem in villa et castro Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod quislibet facere suum spaldum sive sepem prout ei fuerit impositum in villa seu castro Carpeneti ad terminum ordinatum, seu quod ordinabitur per Consilium Carpeneti, sub poena pro

qualibet persona quae contrafecerit solidorum duorum dertonensium pro primo praecepto sibi facto et termino sibi statuto, pro secundo praecepto et termino sibi statuto solidorum V dertonensium, pro tertio solidorum X dertonensium. Et nihilominus teneatur facere dictum spaldum sive sepem.

CXL. De non destruendo seu capiendo spaldum seu sepem alicuius sive de ipso spaldo aut sepem, quod aut quae sit pro clausura sive defensione castri aut villae Carpeneti - Rubrica.

Item statuerunt et ordinaverunt, quod aliqua persona non debeat, audeat, aut praesumat destruere neque peiorare, destrui nec depeiorari facere spaldum neque sepem factum aut factam, pro clausura aut defensione villae seu castri Carpeneti. Nec de ipsis spaldo seu sepe aliquod capere, seu exportare, nec capi, nec exportari facere. Et quae persona contrafecerit in praedictis, aut aliquo praedictorum, sit in banno pro qualibet et qualibet vice solidorum decem dertonensium. Et nihilominus teneatur totum spaldum aut totam sepem destructum aut destructam reficere et ponere in eo statu et in ea bonitate, in quo et in qua prius erat. Et si de dictis spaldo et sepe aliquod fuerit amotum aut depeioratum, et nescietur quis amovisset seu depeiorasset, quod proximiores vicini dicti spaldi aut sepis, videlicet tres proximiores vicini teneantur communiter illud quod depeioratum fuerit restituere et emendare illi cuius fuerit dictum spaldum aut dicta seps, nisi dixerint, aut dicere sciverint personam quae dictum spaldum amovisset, aut deportasset. Et si ille cuius fuerit dictum spaldum aut seps fuerit proximior vicinus, ipsum sive ipsam reficere debeat, et non alia persona.

CXLI. De solutionibus faciendis Notario, seu Scribae, Mensuratoribus et Nuncio pro eorum mercede - Rubrica - Additum.

Item statuerunt et ordinaverunt et voluerunt, quod solutiones Notarii seu Scribae, Mensuratorum et Nuncii, de quorum solutione non fit mentio in capitulo posito sub Rubrica *De Æstimatoribus dandis super aestimis* fiat ut ibi: — Videlicet quod Scriba litterarum, relationum, citationum et similium actuum, quae fiunt postque per litteras Domini, Castellani, seu Consulum aut Consulis notificatum fuit fodrum impositum fuisse, habeat et habere debeat pro labore suo solidos tres imperiales (60), non computato in huiusmodi solutione salario Notarii instrumenti dationis in solutum. Et habeat Mensurator pro labore suo, pro quolibet eorum, in possessionibus quorum per dictum Mensuratorem fuerit mensuratum solidos tres imperiales. Et Nuncius Communis pro labore suo, videlicet pro citationibus et aliis, quae per ipsum fuerit necesse peragere habeat solidum unum imperialem. Et fiant huiusmodi solutiones sicut et in quantum fierent aestimum per Æstimatores Communis de bonis alicuius fodrum solvere recusantis.

CXLII. Qualiter et quomodo intelligenda sunt statuta et capitula in praesenti volumine contenta.

Item statuerunt et ordinaverunt atque voluerunt, quod omnia et singula capitula in praesenti volumine capitulorum sive statutorum contenta, intelligantur et intelligi debeant prout littera iacet seu sonat, sine aliqua subauditione, sive interpretatione seu aliquo intrinseco intellectu — Laus Deo. — Anno Domini MCCCCLVIII, Indictione sexta de mense octobris extracta et exemplata fuerunt haec statuta et ordinationes Communis et hominum Carpeneti ex antiquo volumine capitulorum dicti loci, atque transcripta per Magistrum Antonium de Rupnentis de Ripalta (61). Videlicet de mandato et commissione Alberti Boggerii et Iacobi Rugiuffi Consulum, nec non Alberti Dertonensis (62), Andriolii Bogerii, Manfredi Moysi, Ioannis Anzimoni, Alberti Gualae, Turicini de Fallabrinis, Bartholomaei Magnoni, Henrici Nattae, Magistri Guillielmi Terragni et Alberti Sardi Consiliariorum dicti Loci Carpeneti.

Incipit Tabula Rubricarum capitulorum sive statutorum Communis Carpeneti, descriptarum per ordinem inferius denotatum. Et primo

I. *De Sacramento per Dominum Potestatem, Castellanum, Rectorem seu Consules in principio sui regiminis praestando – Rubrica* . . . . . fol. I.
II. *De citatis sive vocatis in ius et venientibus, et de oblatione libelli – Rubrica* » I.
III. *De dilatione danda respondendi libello et proponendi exceptiones suas – Rubrica* » I.
IV. *De contestando litem super libello oblato – Rubrica* . . . . . » I.
V. *De introducendo testes in causis – Rubrica* . . . . . » I.
VI. *De reprobando testes contra se productos et opponendo contra eos et contra instrumenta contra se producta – Rubrica* . . . . . » I.
VII. *De non computando dies feriatos in terminis contentis in dictis quatuor proxime praecedentibus capitulis – Rubrica* . . . . . » I.
VIII. *De definiendo causas – Rubrica* . . . . . » I.
IX. *De appellatione fienda – Rubrica* . . . . . » II.
X. *De appellatione prosequenda – Rubrica* . . . . . » II.
XI. *De expensis in causa factis restituendis – Rubrica* . . . . . » II.
XII. *De poena citati et non comparentis ad instantiam alicuius – Rubrica* . » II.
XIII. *De non ponendo actionem in libello – Rubrica* . . . . . » II.
XIV. *De non dando libellum de minori quantitate solidorum C Ianuensium nec de quantitate solidorum C – Rubrica* . . . . . » II.
XV. *De solvendo iudicaturas – Rubrica* . . . . . » II.
XVI. *De termino statuendo in causis ad producendum omnia eorum iura – Rubrica* » II.
XVII. *De non dando ultra quatuor suspectos pro qualibet parte ultra illos cum quibus dictae habuerint consilium qui et etiam pro suspectis – Rubrica* . » II.
XVIII. *De compellendo litigantes ad acquitandum et deponendum salarium consultoris in pecunia numerata – Rubrica* . . . . . » III.
XIX. *De faciendo iurare litigantes partes quando definitio quaestionis committitur consulenda alicui iudici, et de manifestando et nominando omnes iudices suspectos cum quibus habuerint consilium – Rubrica* . . . . . » III.
XX. *De citatis in iure et non venientibus – Rubrica* . . . . . » III.
XXI. *De recuperando possessionem seu tenutam datam ex forma capituli proxime praecedentis – Rubrica* . . . . . » III.
XXII. *De bonis vacantibus et de curatore dando – Rubrica* . . . . . » III.
XXIII. *De procedendo in causa ad instantiam rei conventi actore nolente vel recusante in dicta causa procedere – Rubrica* . . . . . » IV.
XXIV. *De instrumentis, apodixiis, sententiis, laudis, arbitris et arbitramentis executioni mandandis – Rubrica* . . . . . » IV.
XXV. *De faciendo tale ius in forensibus agentibus seu agere volentibus contra aliquam personam de Carpeneto seu habitante Carpeneti coram Domino, seu Potestate sive Officiali seu Officialibus Carpeneti quale fieret hominibus Carpeneti et ibi habitantibus in terris sive locis dictorum forensium – Rubrica* . . . . » IV.
XXVI. *De sequestratione fienda – Rubrica* . . . . . » IV.
XXVII. *De reddendo ius diebus feriatis et non feriatis de armis, equis, cibo, potu, et mercede cuiuslibet laboris et quolibet praedictorum ut inferius continetur – Rubrica* . . . . . » V.

XXVIII. *De praeceptis faciendis debitoribus confessis aut convictis per sententiam et de terminis statuendis eisdem ad solvendum – Rubrica* . . . . . fol. V.
XXIX. *De interrogationibus in iure fiendis - Rubrica* . . . . . » V.
XXX. *De contractu seu obligatione fienda causa ludi – Rubrica* . . . . » V.
XXXI. *De arbitris seu arbitratoribus eligendis in questionibus vertentibus ut infra fit mentio -- Rubrica* . . . . . » VI.
XXXII. *Quod haeres scriptus in testamento ponatur in possessionem bonorum testatoris defuncti quae tenebantur et possidebantur per dictum defunctum tempore mortis suae. – Rubrica* . . . . . » VI.
XXXIII. *De solvendo legata et fideicommissa in testamento seu in codicillis relicta – Rubrica* . . . . . » VI.
XXXIV. *De filiofamilias sine consensu patris sui non obligando – Rubrica* . » VI.
XXXV. *De definiendo seu decidendo causas quantitatis solidorum XL Ianuae et ab inde infra per sacramentum rei aut actoris – Rubrica* . . . . . » VI.
XXXVI. *De dotibus restituendis – Rubrica* . . . . . » VII.
XXXVII. *De alimentis uxoris post mortem mariti per ipsius haeredem praestandis – Rubrica* . . . . . » VII.
XXXVIII. *De non contrahendo matrimonio cum aliquo alexandrino – Rubrica.* » VII.
XXXIX. *De feriis – Rubrica* . . . . . » VII.
XL. *De satisfactione a forense praestanda – Rubrica* . . . . . » VIII.
XLI. *Quod aliquis de Carpeneto seu habitator Carpeneti non sit nec esse possit procurator alicuius extranei sine consensu Domini aut Potestatis sive Castellani ipsius – Rubrica* . . . . . » VIII.
XLII. *De non imponendo maiorem poenam in civilibus quam in praesenti infrascripto capitulo continetur – Rubrica* . . . . . » VIII.
XLIII. *De aestimatoribus dandis super aestimis et dationibus in solutum faciendis creditoribus de bonis debitorum – Rubrica* . . . . . » VIII.
XLIV. *De bonis debitorum in solutum datis creditoribus recuperandis – Rubrica* » IX.
XLV. *Explicit liber primus sequitur secundus - Rubrica* . . . . . » IX.
XLVI *De maleficiis et criminalibus de ius reddendo et procedendo in criminalibus sive maleficiis aut delictis - Rubrica* . . . . . » IX.
XLVII. *De iuramento praestando et satisdatione praestanda a quolibet accusatore tempore porrectae accusationis – Rubrica* . . . . . » IX.
XLVIII. *De insultu facto ad domum seu habitationem alicuius contra aliquem – Rubrica* » IX.
XLIX. *De poena battentis aliquem – Rubrica* . . . . . » X.
L. *De non accipiendo seu extrahendo aliquem in capillis seu per capillos irato animo – Rubrica* . . . . . » X.
LI. *De poena facientis rumorem aut rixam - Rubrica* . . . . . » X.
LII. *De non dicendo alicui verba iniuriosa – Rubrica* . . . . . » X.
LIII. *De non blasphemando Deum neque Beatam Mariam matrem eius - Rubrica* » X.
LIV. *De non ludendo ad taxillos - Rubrica* . . . . . » X.
LV. *De non producendo falsum testem et de non proferendo falsum - Rubrica* » XI.
LVI. *De non eundo per seminatum seu per messem alicuius, et de non dando in ipsis damnum – Rubrica* . . . . . » XI.
LVII. *De non dando damnum neque intrando in vineas alicuius - Rubrica* . » XI.
LVIII *De non intrando nec ficus sive uvas capiendo in vineis alicuius - Rubrica* » XI.
LIX. *De non incidendo seu devastando aliquam vitem seu plantam vineae alicuius - Rubrica* . . . . . » XI.

LX. *De non incidendo aliquam arborem fructiferam alicuius – Rubrica* . fol. XII.
LXI. *De non capiendo fructus sive de fructibus alicuius arboris - Rubrica* . » XII.
LXII. *De non colligendo gurinos super alienis salicibus - Rubrica* . . » XII.
LXIII. *De non dando damnum in pratis alienis – Rubrica* . . . . » XII.
LXIV. *De non eundo per pratum alicuius cum carro, barrocio, sive arearia - Rubrica* » XII.
LXV. *De non intrando seu damnum dando in horto alicuius - Rubrica* . » XII.
LXVI. *De animalibus et bestiis intrantibus seu damnum dantibus in rebus alienis – Rubrica* . . . . . » XIII.
LXVII. *De poena pecudum et caprarum damnum dantium - Rubrica* . . » XIII.
LXVIII. *De poena troiarum et porcorum runcantium in prata alicuius - Rubrica* » XIII.
LXIX. *De poena animalium sive bestiarum intrantium sive quae inventae fuerint in vineis alienis - Rubrica* . . . . . » XIII.
LXX. *De bestiis pascentibus in pratis sine banno – Rubrica* . . . . » XIII.
LXXI. *De ochis sive anseribus dantibus damnum - Rubrica* . . . . » XIII.
LXXII. *De non incidendo seu devastando clausuram sive garbum alicuius - Rubrica* » XIII.
LXXIII. *De non vendendo aliquam possessionem sive rem immobilem alicui forensi per perticas XXV, iuxta aut prope confinia - Rubrica* . . . . . » XIV.
LXXIV. *De non solventibus fodrum - Rubrica* . . . . . » XIV.
LXXV. *Item de non solventibus fodrum - Rubrica* . . . . . » XIV.
LXXVI. *De non vendendo seu alienando aliquam possessionem de qua solvi debeat fodrum alicui personae solvere recusanti ipsum fodrum - Rubrica* . . » XV.
LXXVII. *De officio clavarii – Rubrica* . . . . . » XV.
LXXVIII. *De poena devastantis seu deteriorantis fontem de Sancto Marito – Rubrica* » XV.
LXXIX. *De non ducendo seu tenendo aliquas bestias in Ecclesia Santi Georgii neque in Coemeterio – Rubrica* . . . . . » XV.
LXXX. *De poena se dèierantis sive periurantis – Rubrica* . . . . . » XV.
LXXXI *De examinando omni anno sextaria et alias mensuras – Rubrica* . » XV.
LXXXII. *De vendendo et emendo ad mensuras iustas examinatas Communis Carpeneti et non ad alias mensuras - Rubrica* . . . . . » XV.
LXXXIII. *De detinendo frusterios ad instantiam cuiuslibet de Carpeneto – Rubrica* » XVI.
LXXXIV. *De Officialibus eligendis et eorum salario - Rubrica* . . . . » XVI.
LXXXV. *De non occupando seu frangendo possessionem alicuius – Rubrica* . » XVI.
LXXXVI. *De non incidendo seu exportando seu damnum dando per forenses in boschis, nec de boschis sitis in posse Carpeneti aliquid exportando neque in aliquibus seu de aliis rebus – Rubrica* . . . . . » XVI.
LXXXVII. *De incendio seu guasto, sive damno facto, sive dato – Rubrica* . » XVI.
LXXXVIII. *Quod aliquis de Carpeneto non fideiubeat pro aliquo forense in aliqua causa civili seu criminali – Rubrica* . . . . . » XVII.
LXXXIX. *De non dando damnum in boschis seu nemoribus alicuius – Rubrica* » XVII.
XC. *De non dando damnum in runchis neque spisiis – Rubrica* . . . . » XVII.
XCI. *De non petendo licentiam ducendi bestias forensium ad pascendum in poderio Carpeneti - Rubrica* . . . . . » XVII.
XCII. *De his qui tenentur et debent facere spaldum - Rubrica* . . . . » XVII.
XCIII. *De illis qui non faciunt prierias - Rubrica* . . . . . » XVII.
XCIV. *De non fodiendo filicem in vinea alicuius - Rubrica* . . . . . » XVII.
XCV. *De personis quae possint sibi eligere camparios – Rubrica* . . . . » XVIII.
XCVI. *De non venientibus ad consilium – Rubrica* . . . . . » XVIII.
XCVII. *De non stando prope plateam quando Consilium est ibi congregatum - Rubrica* » XVIII.

XCVIII. *De scandalio seu penso Communis vendendo et de ponderando ad dictum scandalium seu pensum venditum – Rubrica* . . . . . fol. XVIII.
XCIX. *De non praecipiendo alicui personae quod acquitet aliquâ banna ultra quae continentur in capitulis Carpeneti de commissis per Commune, secundum quod in eis continetur – Rubrica* . . . . . » XVIII.
C. *De non devastando seu deteriorando aliquam viam Communis – Rubrica* . » XVIII.
CI. *De venatoribus ducentibus canes ad venandum - Rubrica* . . . . » XVIII.
CII. *De poena recusantis dare aut nolentis pignus nuncio aut præconi Communis - Rubrica* » XVIII.
CIII. *De poena guaitae et scaraguaitae - Rubrica* . . . . . » XVIII.
CIV. *De poena non venientis ad laborem Communis - Rubrica* . . . . » XIX.
CV. *De poena custodum portarum – Rubrica* . . . . . » XIX.
CVI. *De non refutando officium ad quod fuerit electus – Rubrica* . . . » XIX.
CVII. *De non deteriorando seu devastando fossata sive cerchas aut levatas seu sbarerias Communis Carpeneti – Rubrica* . . . . . » XIX.
CVIII. *De electione campariorum Communis Carpeneti et eorum officio – Rubrica* » XIX.
CIX *De non committendo fraudem in suo officio ad quod fuerit electus per Consilium sive Commune Carpeneti – Rubrica* . . . . . » XIX.
CX. *De poena bestiarum sive animalium forensium pascentium seu damnum dantium in posse Carpeneti – Rubrica* . . . . . » XIX.
CXI. *De non vendendo aliquam terram seu possessionem seu alienando quae sit in posse seu districti Carpeneti alicui personae recusanti solvere fodrum – Rubrica* » XIX.
CXII. *De non tenendo foenum neque paleas in castro aut recepto Carpeneti - Rubrica* » XX.
CXIII. *De tempore statuto ad faciendam accusationem de damno sibi dato - Rubrica* » XX.
CXIV. *De poena intrantium in villam Carpeneti per trasversum seu per alias partes quam per portas apertas – Rubrica* . . . . . » XX.
CXV. *De non faciendo leamen neque amassando seu tenendo in viis villae seu castri Carpeneti – Rubrica* . . . . . » XX.
CXVI. *De non tenendo in viis Communis quae sint in villa seu castro Carpeneti aliquod quod noceat euntibus per viam - Rubrica* . . . . . » XX.
CXVII. *De non laborando in diebus festivis - Rubrica* . . . . . » XX.
CXVIII. *De non consulendo seu arengando per aliquem Consiliarium quod aliquid detur - Rubrica* . . . . . » XX.
CXIX. *Quod vendentes ad pensum ponderare debeant ad balansias et ad libras ferreas examinatas et iustas per Commune – Rubrica* . . . . . » XXI.
CXX. *De beccariis vendentes carnes recentes - Rubrica* . . . . . » XXI.
CXXI. *De non vendendo carnes morbosas - Rubrica* . . . . . » XXI.
CXXII. *De non portando ignem contra formam infrascripti capituli - Rubrica* » XXI.
CXXIII. *De officio campariorum vinearum et eorum electione - Rubrica* . » XXI.
CXXIV. *De campariis vendentibus uvas seu fructus de vineis alicuius - Rubrica* » XXI.
CXXV. *De poena campariorum laborantium – Rubrica* . . . . . » XXI.
CXXVI. *De campariis ammassantibus ligna - Rubrica* . . . . . » XXI.
CXXVII. *De non rapolando in vineis – Rubrica* . . . . . » XXI.
CXXVIII. *De poena bubulci stantis super carro aut barrocio – Rubrica* . . » XXII.
CXXIX. *De poena arrancantium seu amoventium terminos – Rubrica* . . » XXII.
CXXX. *De officio raspariorum sive mistraliorum – Rubrica* . . . . » XXII.
CXXXI. *Quod omnes poenae et banna limitata et limitatae contentae et contenta in capitulis praesentis voluminis et aliis Communis Carpeneti tam praecedentibus quam sequentibus sint et esse intelligantur ad monetam dertonensium - Rubrica* » XXII.

CXXXII. *De non extrahendo de Carpeneto causa portandi extra poderium Carpeneti pullos, gallinas, seu capones, ochas, ochos, pavaros, ova - Rubrica* . fol. XXII.
CXXXIII. *De poenis imponendis rixantibus ut discendant a rixa et aliis personis ut in proxime infrascripto capitulo continetur – Rubrica* . . . » XXII.
CXXXIV. *De non transeundo infrascripta confinia quando pulsatur ad strumina seu quando inimici currant super poderio Carpeneti – Rubrica* . . . » XXIII.
CXXXV. *De textoribus et textricibus - Rubrica* . . . . . » XXIII.
CXXXVI. *De solutione quam accipere debent textores et textrices - Rubrica* . » XXIII.
CXXXVII. *De poena minuenda sive minoranda se concordantibus - Rubrica* . » XXIII.
CXXXVIII. *De acquitando banna ferratiae et dicta banna solvendo et mendas volentibus recipere et habere – Rubrica* . . . . . » XXIII.
CXXXIX. *De faciendo spaldum sive sepem in villa et castro Carpeneti - Rubrica* » XXIII.
CXL. *De non destruendo sive capiendo spaldum seu sepem alicuius, sive de ipso spaldo aut sepe quod aut quae sit pro clausura sive defensione castri aut villae Carpeneti – Rubrica* . . . . . » XXIII.
CXLI. *De solutionibus faciendis notario seu scribae, mensuratoribus et nuncio pro eorum mercede – Rubrica* . . . . . » XXIV.
CXLII. *Qualiter et quomodo intelligenda sunt statuta et capitula in praesenti volumine contenta* . . . . . » XXIV.

EXPLICIT.

NOTE ALLO STATUTO CODICE

(1) Quantunque l'azione dello stato in massima parte nella troppa tutela e protezione sia dannosa oggidì, allora che potevano assai l'aristocrazia e i feudatarii, era necessarissima a difendere la povera gente dai soprusi di quelli.

(2) Dicevasi *Contestatio litis* la risposta di non esistenza o di falsità dei diritti o delle accuse fatte dal citatore al citato, e dall'uso romano antico di fare intervenire nel dare questa risposta negativa all'avversario, due o più testimoni. Quest'atto chiamavasi quindi *Contestatio litis.*

(3) Il soldo genovese valeva 4 centesimi di moneta decimale.

(4) *Missio in possessionem* era presso i Romani il permesso (nello scopo di assicurare ad una delle parti litiganti l'adempimento delle proprie obbligazioni) di prendere possesso solo di alcune cose particolari. *Missio in rem* od *in bona* era il mezzo col quale si otteneva il diritto di pegno, come sarebbe la facoltà di amministrare la possessione altrui.

(5) Ciò che è detto nella rubrica non corrisponde perfettamente al titolo di essa; forse chi scriveva saltò di pianta una rubrica intera.

(6) Per la legge romana *de aleatoribus* ogni convenzione conchiusa nel giuoco o a cagione del giuoco è nulla; ciò che si è perduto si può ridomandare. Chi tiene il giuoco non può essere risarcito dei danni.

(7) L'editto di Adriano riferisce anche questa legge sotto il titolo: *missio in possessionem haeredis scripti,* e soggiunge «purchè l'erede domandi la eredità e non la rifiuti.»

(8) Questa famiglia esiste e continua ancora in Alessandria e in Cassine.

(9) Così la famiglia Guaschi è sparsa in tutto l' Alessandrino, specialmente a Solero. Origina dalle provincie Basche di Spagna.

(10) Estesissima famiglia in Piemonte alla quale appartiene la Principessa della Cisterna.

(11) Cognome comune per tutta l'Italia, specialmente nel Monferrato.

(12) Merli e Merlini erano famiglie ghibelline d'Alessandria.

(13) Ruffini e Ruffinelli sono casati ancora vivi in Alessandria.

(14) Famiglia vivente in Cassinelle di Molare ed in Alessandria.

(15) Il primo giorno di quaresima.

(16) San Giorgio è anche presentemente patrono di Carpeneto, come lo è di Genova; la via Polcevera di Carpeneto ricorda il fiume che scorre presso Genova.

(17) Havvi a Carpeneto nella chiesa principale un quadro di S. Lucia, S. Agata, S. Apollonia. Di S. Antonino v' ha una chiesa nel recinto del castello del paese.

(18) *Maleficii* erano i delitti contro la religione e la morale: così i delitti di soddomia di bigamia, di concubinato, le malie, gli incanti, le streghe, gli scongiuri; la punizione di tali delitti spettava al feudatario od al podestà, che in ciò guadagnavano assai.

(19) Anche nelle leggi longobarde nei casi di pignorazione o di sequestro le armi non potevano essere tolte.

(20) Gli estimatori ora non sono più eletti dal pubblico, ma di solito sono i più vecchi e più sensati uomini del paese.

NOTE AL LIBRO SECONDO

(1) Comincia il libro delle leggi criminali. *La satisdatio* era una cauzione reale mediante pegno in oggetti od in denaro per impedire la volontaria perdita dei diritti o per assicurare il conseguimento del loro scopo.

(2) Le leggi Longobardiche multavano gravemente chi avesse detto ad una donna: masca o strega, ed i germani in generale rispettavano assai la donna.

(3) Questi delitti erano compresi fra quelli di maleficio. Anche le contravvenzioni contro il giuocatore di scacchi si facevano dal Podestà. La famiglia Boggero è antica e nobile, degnamente oggidì rappresentata dal Sig. Carlo Boggero, Maestro elementare.

(4) Nel dialetto Carpenetese *ariaria, arearia* significa il solco più o meno profondo fatto dall'aratro, quando l'aratore non lo affonda nel terreno, ma transita per la strada o per un campo per andare alla possessione sua.

(5) *Caracias et caraciolios* sono i pali che sostengono le viti, i primi sono quelli dell'anno, i secondi quelli dell'anno passato, quasi sussidiarii ad essi.

(6) Questo divieto se ora non è pubblico, è però passato nei costumi del paese, e dal 10 agosto fino alla fine della vendemmia neanco adesso si va nelle vigne, per evitare disturbi. Era la cura degli statuti volta a proteggere le viti e a far migliore il vino principale prodotto del paese.

(7) *Macheriis* sono i vitici per cui la vite si attacca al palo che la regge; quindi danneggiandosi la vite in questa parte la si obbliga a rimettere al pedale con danno nella quantità dei frutti.

(8) Arbra e albra è il pioppo comune e il pioppo bianco.

(9) Allevatum. I rampolli che sorgono al pedale degli olivi, delle quercie, i quali tagliata la pianta principale la surrogano; La buona memoria di mio padre dicevami che prima che si sboscassero in gran parte gli Apennini genovesi e le cime delle nostre colline le grandini erano molto meno numerose d'ora. Essendo state tolte le piante e i castagneti soprastanti al fonte di S. Merito, e scavato il terreno intorno ad esso alcune delle polle si perdettero, e la quantità dell'acqua è d'assai diminuita.

(10) *Gurinos* sono i vimini flessibilissimi e senza nodi del salice domestico a corteccia giallastra o rossa, il salice selvatico dà solo rami e pali.

(11) *Raponi* in dialetto ravun, è la *brassica rapa* che si mangia d'inverno cotta sotto la cenere. Siccome le colline sono tutte piantate a viti poca acqua si perde e le valli in generale sono abbondanti di pozzi che hanno acqua abbondante.

(12) Legumi. In dialetto gueim, leim, lem. I piselli diconsi arbiin, o pois.

(13) La fontana del Comune anticamente era circondata da prati che addì nostri si trasformarono più utilmente in vigne. Un gran noce l'ombreggiava, ora è atterrato.

(14) S. Martino è agli 11 di novembre. Però ora si sono saggiamente aboliti questi pascoli tardivi, i quali per la poca ed umida erba sono di molto danno al bestiame; nè meno dannosi sono quelli nei boschi cedui a settentrione del paese.

(15) Runchèe e sgattèe sono i due verbi che indicano il grufolare e lo scavare dei porci quasi a solco onde le porche dei campi. La mitologia greca nel capro sacrificato nelle feste di Bacco mostrava il danno fatto da quest'animale alle viti protette dal dio del vino.

(16) Dalla parola del latino medievale *auca*, si fece oca, come da causa, cosa.

(17) Gherbura, ciuendra, sono parole del dialetto indicanti siepe, o chiusa.

(18) Molti dei moderni ministri sarebbero imbarazzati ove fossero tenuti a quello a cui era tenuto il chiavaro di Carpeneto, il quale era risponsabile di fatto come in Inghilterra e non solo di nome.

(19) Il pozzo Comunale o della Piazza esiste tuttora, in esso nel 1796 furono gettate le scritture dell'archivio Comunale. Questo codice per essere membranaceo soffrì meno degli altri che erano in carta ordinaria. Queste leggi di polizia municipale perchè non si fanno osservare anche ora?

(20) La chiesa di S. Giorgio *extra muros* sorge sopra una graziosa collinetta ad oriente del Paese, e il Cimitero era intorno ad essa. Servì di quartiere ai francesi nel 1796, agli Austro-Russi di Suvaroff nel 1799, ai Tedeschi di Bubnna nel 1821.

(21) Verificatori dei pesi e delle misure eletti annualmente.

(22) Rasonerii, ragionieri, erano i computisti del Comune. La buona economia, l'esatto conto delle entrate e delle spese erano e sono la prima base d'ogni amministrazione governativa.

(23) Quarterone è una misura genovese, ed equivale poco su poco giù ad un litro.

(24) Truss nella lingua gallo-celtica vale raccogliere, legare, annodare. Trussa, trussia è un ammasso di strame o d'erba, raccolto, legato annodato, posto a penzoloni sopra un quadrupede. Il che in siciliano dicesi Zembili. Questa legge era veramente provvidenziale perchè nei boschi cedui che il Comune ora stoltamente ha venduto, le foglie

cadute e l'erba erano un naturale concime alle radici, gli alberi numerosi e nutriti mantenevano fresca l'aria, rendevano più abbondanti le pioggie, meno variabile il clima. Ora queste leggi vecchie sono dimenticate ma la natura si vendica colle grandini, coi freddi e coi calori eccessivi, col flagello dei bruchi e delle cavallette.

(25) Ronco. Vale monte o collina boschiva. I monti presso Brescia diconsi ronchi; rongchos vale monte anche in greco. Il diboscamento dei monti fatto senza regole nè norme porta i danni a tutti noti: la terra non più rattenuta dalle radici, dalle foglie, dai rami è portata via; onde le pioggie se prima erano innocue diventano flagelli per le piene rovinose.

(26) Una regione di Carpeneto verso i boschi dicesi dello Spezzio o Spessi che vuol dire luogo a cespugli bassi cedui.

(27) Da preia,-pietra nacque il vocabolo prieria, mucchio di pietre minute fatto nel castello o nei luoghi più esposti per manganarle contro i nemici.

(28) Guardie dei frutti campestri, *capovuoteni* nelle provincie meridionali.

(29) La severa legge per chi non viene al consiglio di Carpeneto mi trae, quasi senza volerlo, a pensare quante volte i signori deputati mancano al parlamento, e niuna legge li condanna nemmeno ad un soldo tortonese di multa! Fintanto che il patriottismo sarà quello della moda di Francia, di grandi musiche, molte bandiere, i soliti viva o morte, i soliti paroloni, i soliti banchetti cogli indispensabili brindisi a pancia piena, la povera razza latina non si rialzerà mai.

(30) La famiglia Ferraro è antica, ed anche nobile. Furono in essa molti misuratori e notai e uomini d'arme. È numerosissima nel paese e a Montaldo-Bormida.

(31) Sul ruscello Stanavasso che sotto Sezzè mette foce nell'Orba verso la villa della Madonna.

(32) Chiamasi ora ponte di Canavelle sul Rio Maggiore ad Oriente del paese verso Rocca-Grimalda.

(33) Ha un tale nome perchè vicino alla cascina detta Trecenta verso Trisobbio.

(34) Anticamente si vendemmiava nell'ottobre. Ma se il vino era poco ed ottimo, oggi con più savio divisamento si vendemmia nel settembre e il vino è in maggiore quantità. Le felci che per legge non si potevano svellere, gli alberi spessi nelle vigne, i pascoli abbondanti rendevano l'estate meno calda.

(35) Beati quei tempi, nei quali tutti erano cittadini e soldati a difesa della patria!

(36) *Sbarrerie.* Erano sbarre poste per lo più a difesa delle strade; le levate erano rialzi di terra, fortilizi a difesa del Comune. Le strade romane per lo più elevate sopra il suolo sottostante, hanno nella Provincia d'Alessandria il nome di *levate.* Così infatti si chiama la strada Romana presso Castelnuovo-Bormida.

(37) *Covoni di grano*, detti in Calabria e in Puglia *Greggna*, e un mucchio d'essi *timonia* in Calabria, *meta di grano* in Puglia, *bura* nel Monferrato. In Calabria usasi porre sopra di essi un santo, costume che ricorda quello degli agricoltori romani, che sopra i mucchi di covoni mettevano un simulacro di Cerere.

(38) La traduzione del dialetto *massoi*, che sono i manipoli del grano.

(39) Le due porte principali erano quelle di S. Bovo e di S. Giorgio, per le quali si poteva uscire ed entrare sempre; quelle di S. Alberto e di S. Barbara erano postierle per le quali si poteva uscire in tempo di guerra.

(40) *Strazetios* traduzione latina della parola dialettale straghet, viottola.

(41) *Andeum* traduzione di ande, andito, diritto di passaggio sulla possessione altrui.

(42) *Pladium.* Pladium, beladium, è canale destinato a condurre l'acqua da un luogo all'altro, da un fiume ad un mulino. In dialetto Biàa.

(43) Canà in dialetto e *Canata* in latino è il nome dato alle doccie in legno od in ferro che conducono in un pozzo o a terra l'acqua raccolta dai tetti.

(44) Le buone regole igieniche c'erano anche allora, e se le pesti non fossero state troppo spesso triste regalo tedesco, francese o spagnuolo, l'Italia non sarebbe stata invasa da esse. Leamen, letame; in dialetto liam ed aliam.

(45) *Rasperii o mistrali* erano gli scorticatori delle bestie macellate. La pratica li aveva fatti dotti delle buone o cattive carni le quali essi bollavano prima di esporre in vendita. Uno tra i molti usi lodevoli che il Comune non conservò.

(46) Ovada è la prima grossa terra del Genovesato al di là dell'Orba. La repubblica ligure si estendeva al di qua del fiume fino al luogo detto *Corrieri* dal fermarsi che ivi facevano i corrieri dei due stati. In questa parte del Monferrato erano numerosi i feudi imperiali onde ne venne il nome di Langhe da Land, terra.

(47) *Baraside* è la traduzione del dialetto ambarass, impedimento.

(48) Traduzione del dialetto *ciapp, ciappa,* coccio di vaso di terra cotto.

(49) *Rapulèe* è il racimolare o il raccogliere i grappoli dimenticati dopo la vendemmia.

(50) *Arrancare o rancare* è lo svellere, l'estirpare dell'erbe ecc. Indica anche il togliere o rimuovere i termini tenuti come dei dai Romani.

(51) La campana a stormo sonava nei tempi di maggior pericolo in guerra, si portava sopra il carroccio e dava il segno delle mosse. Sturm è parola tedesca indicante schiera incomposta, confusa di soldati.

(52) Montata-salita, la quale è ancora parte fortificata del paese.

(53) *Per mira* è tratto dal dialetto e vale dirimpetto, *pitium* pezzo di terra. Il cadastro o Capitastro allora non era ancora stato fatto ad indicare le possessioni dei proprietarii del paese.

(54) Bava. È estinta questa famiglia dalla quale discese il vincitore di Goito. Resta la famiglia Bavasano. Il Gambinello è una regione del paese dove ha possessioni il R. Don Domenico Garrone mio stimato maestro.

(55) *Podium.* Poggio. La cascina di Giuncheto esiste ancora.

(56) La famiglia Spinola fu feudataria del paese dal 300 al 500.

(57) La famiglia Rabia è spenta. Pare fossero un poco pazzi, perchè corre il proverbio ancora oggidì: « Sei matto come quei della famiglia Rabia. »

(58) La chiesa di S. Martino è distrutta. Rimane ancora una cascina con questo nome.

(59) In questo modo il confine era di due miglia in circuito al paese da settentrione a levante. Quante cure per difendere l'indipendenza della patria!

(60) Il soldo imperiale era di 6 quattrini, di 5 quello di Tortona di 4 quello di Genova. La lira tortonese di 20 soldi, la imperiale di 24. Le monete monferrine coniate dal Marchese Teodoro 1.° Paleologo a Chivasso erano: i florini manco un grano di rimedio, la lira di 18 soldi e 11 denari e mezzo, più soldi e denari, tutti colla sua effigie e nome.

(61) Rivalta-Bormida grossa terra sulla via che da Carpeneto conduce ad Acqui.

(62) La famiglia Tortonese fu per molto tempo feudataria del paese. Di questo casato non rimane oggidì altri che una donna, la madre del sig. Battista Barba.

N. B. Per schiarimenti maggiori intorno a detti statuti veda il lettore la mia operetta: **Statuti di Carpeneto ecc.** stampata nella *Rivista Europea.*

QUATTRO DOCUMENTI INEDITI

RELATIVI

ALLA STORIA DEL MONFERRATO

NEI SECOLI XIV XVI E XVIII

PUBBLICATI PER CURA

DI

GIUSEPPE FERRARO

PRIMO DOCUMENTO

Privilegia et laudabiles consuetudines Communitatis loci Carpeneti.

Ioannes Georgius (1) Marchio Montisferrati (2), sacri Romani Princeps et Vicarius Perpetuus.

Annuentes supplicibus et Requisitionibus Egregii grammaticae Professoris, Magistri Guillielmi Regiuffi (3) de loco nostro Carpeneti, nuntii et mandatarii Communitatis et hominum ipsius loci, qui nobis, eorum parte, praesentavit istud quoddam antiquum instrumentum tenoris infrascripti:

Nobis propterea humiliter supplicando ut instrumentum istud ac omnia et singula in eo contenta confirmare et ratificare (4) dignaremur:

Tenore praesentium, attenta praecipue, fide, constantia, singularique devotione, quam semper Communitas et homines dicti loci, erga nostros inlustrissimos Praedecessores habuerunt, et in qua pariter erga nos perseverarunt, istud instrumentum ac omnia et singula Capitula et pacta aliqua in eo contenta et descripta in omnibus suis passibus, punctis, et articulis, prout iacent; ex certa nostri scientia, ac de nostra potestatis plenitudine, confirmamus, approbamus, laudamus, ac ratificamus, ac perpetua firmitate obtineri volumus; et decernimus eaque omnia et singula quatenus expediat eidem Communitati et hominibus quod futuris de novo concedimus ac perpetuo et inviolabiliter observare iubemus. Salvo tamen in praedictis omnibus et singulis, quocumque iure nostro, si quod nobis contra praemissa et praemissorum aliquod competat. In quorum testimonium praesentes manu nostra propria subscripsimus easque sigillo nostro munimine roborari iussimus.

Datum Casali, die primo septembris MDXXXII.

IOANNES GEORGIUS

SECONDO DOCUMENTO

Carpeneti fidelitas firmata strenuissimo Duci nostro Theodoro Paleologo, Violantis Imperatricis filio (1). Anno Domini MCCCV.

Anno nativitatis Domini millesimo trecentesimo quinto, Indictione tertia, die vigesimo octavo mensis Ianuarii in Carpeneto (2), scilicet in domo Plateae (3), Communis et hominum dicti loci.

Inlustrissimus Princeps Dominus Theodorus Violantis Imperatricis filius, Marchio Montisferrati, nobilis vir, Dominus Leo Mantuatius Feudatarius dicti

Domini marchioni de loco et hominibus Carpeneti. Et cui Domino Leoni Commune et hominum Carpeneti, fidelitatem et homaggium de voluntate dicti Domini fecerunt et iuraverunt in signum dilectionis perpetuae et amoris. Ex certa scientia et non per errorem per se et haeredes ac successores ipsorum ac cuiuslibet eorum ratificaverunt et approbaverunt. Et confirmaverunt Alberto Grillo de Carpeneto (4) Sindico et Sindicario nomine Communis, Universitatis et hominum Carpeneti. Et mihi Gullielmo Fallabrino (5), imperiali Notario publico infrascripto, tanquam publica persona stipulantibus et recipientibus, nomine et vice dictorum Communis, hominum et Universitatis Carpeneti omnia pacta, conditiones, mores, usantias et consuetudines; quae et quas Commune et homines Carpeneti habent et hinc retro habuerunt, et soliti sunt habere cum dicto Domino Marchione et Praedecessoribus suis, saltem dicti Domini Marchionis et Marchionatus Montisferrati. Nec non ratificaverunt, approbaverunt et confirmaverunt omnia et singula statuta et ordinamenta dicti Communis, hominum et Universitatis Carpeneti, quae nunc habent et habere consueverunt, et quae per ipsum facta sunt et per ipsum Commune de caetero fient et quibus utuntur.

Concedentes dicti Domini: Marchio et Leo dicto Sindico et Sindicario, nomine quo supra, stipulanti et recipienti dicto nomine quo supra, ad instantiam dicti Sindici et Notarii iam dicti stipulantis et recipientis. — Nominibus quibus supradictum Commune, Universitatem et homines Carpeneti posse: capitula, statuta et ordinamenta facere et condere pro libito propriae voluntatis faciendi et condendi. Et ipsum Commune et homines Carpeneti esse in propria et plena potestate vel quasi. — Dantes insuper et concedentes, dicti Domini Marchio et Leo, dicto Sindico et Sindicario nomine, et mihi iam dicto Notario, stipulantibus et recipientibus, vice et nomine dicti Communis, hominum et Universitatis Carpeneti, plenam et liberam potestatem et bayliam applicandi, statuendi, et ordinandi, quidquid voluerit et placuerit, semel et pluries, et toties quoties voluerint. Et etiam emendandi, mutandi, et corrigendi super quibuscumque quemadmodum, ipsi Domini Marchio et Leo, cum dictis hominibus et ipsis facere possent. Nec non promittentes dicti Domini Marchio et Leo per se et haeredes ac successores suos et cuiuslibet ipsorum, praedicto Sindico et mihi Notario saepe dicto stipulantibus et recipientibus, vice et nomine dicti Communis, Universitatis et hominum Carpeneti, perpetuo et inviolabiliter attendere et observare ipsi Communi et Universitati Carpeneti, omnia et singula pacta et conventiones, mores et consuetudines (6), quae et quos et quas habent et soliti sunt habere cum praedecessoribus dicti Domini Marchionis et cum Marchionatu Montisferrati. Necnon omnia et singula capitula, statuta et ordinamenta dicti Communis et hominum Carpeneti, tam ea quae facta sunt e quibus utuntur et uti consueverunt, quam ea quae de caetero in perpetuum, per Ipsum Commune fient et condentur. Et ex nunc ea facta et fienda, prout ex tunc approbantes, ratificantes et confirmantes, et in nullo contrafacere, vel venire per se vel alios ulla ratione, vel causa, de iure vel de facto. Et solemnibus stipulationibus intervenientibus praedicto Sindico, Sindicario nomine, et mihi jam

dicto Notario vice et nomine dicti Communis, Universitatis et hominum Carpeneti stipulantibus et recipientibus. — Promiserunt et convenerunt sub poena dupli, de quanto bis ageretur; solemni stipulatione promissa et remissione omnium damnorum, interesse et expensarum litis, et extra, et poena praedicta soluta, vel non praedicta omnia et singula firma maneat et similiter. Iidem Dominus Marchio et Leo approbaverunt ac attendere et observare perpetuo dictis hominibus et Communi et promiserunt observare omnia et singula capitula et pacta infrascripta condita inter Ipsum Dominum Marchionem ex una parte et dictum Commune et homines ex altera, prout ipse Dominus Marchio ex certa scientia asserit et confitetur. Quorum pactorum et capitulorum tenor talis est: Infrascripta sunt pacta et conditiones et consuetudines, quae et quas Commune et homines Carpeneti hinc retro semper habuerunt, cum Dominis Marchionibus et Marchionatu Montisferrati, et ad praesentes habent cum Domino Theodoro Excellentissimi Domini Imperatoris Graecorum filio primogenito Inlustri Marchione Montisferrati (7). — In primis quod omnia banna ferratiae (8) semper fuerunt et sunt Communis et hominum Carpeneti et medietas bannorum Leudi (9) guaitarum (10) et scaraguaitarum, laboriorum et fossatorum, spalidorum, puteorum, viarum et quorumlibet (11) aliorum laborum quae fient pro Communi. — Et custodia portarum Carpeneti (12) sit et esse debeat medietas Communis Carpeneti et alia medietas sit Castri Carpeneti (13). Reliqua vero banna, omnia et singula, sint et esse debeant Castri Carpeneti et Communis, ordinanda, statuenda, et capitulanda per Commune et homines Carpeneti, exceptis semptem bannis concilibus, quae ordinata sunt et ordinantur per ordinamenta Curiae et Marchionnatus Domini Marchionis.— Item quod quislibet homo et persona de Carpeneto et ibi habitans libere possit de bonis suis testari (14) et testamentum facere ad suam voluntatem. Et si decederet sine testamento (15) bona sua perveniant ad proximiores parentes suos, secundum Iura communia. — Item quod Commune et homines Carpeneti possint facere et habere Consules (16) et Notarios ad suam voluntatem et sic Æstimatores et Rationatores (17) et Clavarium super omnibus et singulis factis, quae spectant ad Commune Carpeneti, per dicta, pacta, conventiones et consuetudines. — Item habeat dictum Commune Carpeneti Consilium ordinatum et Consiliarios (18) ad providendum sicut melius videbitur dictis Consiliariis, de omnibus factis spectantibus ad Commune. — Item quod Commune et homines Carpeneti, non teneantur ad aliquod fodrum nec Taleam (19), vel aliarum rerum, nec eis imponi possint per Dominum Marchionem, excepto fodro legali (20), ad quod communiter omnes homines tenentur. — Item quod Commune et homines Carpeneti et habitantes in Carpeneto libere possint mercari (21), emere, vendere, permutare et contrahere ad invicem in Carpeneto et posse (22) ad suam voluntatem et cum quibuscumque personis extraneis, de quibuscumque bonis et rebus sine praestatione alicuius Pedagii (23), Carrariae (24) Malettotae (25) et gabellaturae alicuius gabellae.

Et demum sint liberi in Carpeneto et posse a praestatione praedictorum vel alia qualibet exactione. Item eodem modo sunt et esse debent eiusdem

conditionis et libertatis, Commune et homines Trisobii (26), Commune et homines Montisalti (27), Commune et homines Rochae (28). Quia hinc retro sic semper dicta Communia fuerunt in terris eorum et posse Communis et hominum Carpeneti (29). Item quod Commune et homines Carpeneti et ibidem habitantes libere possint eorum bladam moli facere (30) et ad molendinum ducere quo voluerint et ad eorum liberam voluntatem. Item quod Commune et homines Carpeneti et habitantes ibidem possint venari (31) cum personis et canibus ubilibet per posse Carpeneti, et quod Dominus dicti loci non possit petere ius in venatione capta (32) per homines Carpeneti. Item quod nemo de Carpeneto vel ibi habitans possit, nec debeat personaliter (33) detineri per Castellanum Carpeneti pro aliquo facto, dummodo velit et possit dare bonam et idoneam securitatem de stando Iuri (34) et de solvendo poenam pecuniariam in quam et de qua possit iuste condemnari. Si vero factum vel maleficium esset (35) tale quod deberet et posset puniri personaliter, tunc et eo casu possit quislibet de Carpeneto et ibi habitans personaliter capi et detineri ad voluntatem Domini vel eius Castellani. Item quod Commune et homines Carpeneti non teneantur domino Marchioni ad aliquam Angariam (36) vel Perangariam, roseas, scuffias (37) personarum, rerum vel bestiarum suarum, nisi sicut procederet Commune ipsorum, libera voluntate. A quibus omnibus et singulis sint liberi et immunes exceptis et exceptuatis pace et guerra (38), exercitibus et cavalcatis vel cavalariis ad quae et ad quas teneantur Commune et homines Carpeneneti Domino Marchioni sicut aliae terrae Marchionatus sui. Et demum aliis quae in sacramento plenius continentur. Item quod Ius et Iustitia teneatur et reddatur in platea villae Carpeneti (39) per Dominum vel eius Castellanum (40), Carpeneti loco consueto, de omnibus et singulis contractibus et maleficiis, exceptis pro quibus quis debere personaliter puniri ut supra. In quo casu Dominus vel Castellanus eius faciat ad suam voluntatem. Item quod Commune et homines Carpeneti possint de quolibet gravamine (41) appellare ad Dominum Marchionem, sicut communiter faciunt omnes terrae Marchionatu Montisferrati. Item si aliquae possessiones emptae fuerint super posse et iurisdictione dicti loci Carpeneti, per Dominum Carpeneti vel per aliam quamcumque personam, Ipse teneatur et debeat solvere (42) omnia fodra, collecta, dacita et quascumque angarias et perengarias quae imponentur per Commune et homines Carpeneti. — Item quod Dominus Carpeneti non debeat nec possit forzare aliquam personam de Carpeneto de domo, sive de sedimine suo, causa faciendi (43) aliquod aedificium. Item quod Dominus Carpeneti non debeat facere aliquod bannimentum hominum Carpeneti nisi cum voluntate et consensu Consilii et hominum dicti loci (44) salvo si Dominus Marchio Montisferrati faceret commune bannimentum per totam suam terram. — Insuper dictus Dominus Marchio et dictus Dominus Leo per se et eorum haeredes ac successores quoscumque, promiserunt et convenerunt dicto Sindico et mihi iam dicto Notario nomine et vice dicti Communis, hominum et Universitatis Carpeneti, recipientibus et stipulantibus, suprascripta capitula et conventiones. — Nec non omnia et suprascripta

perpetuo attendere et observare et in nullo contrafacere vel venire aliqua ratione vel causa, de iure vel de facto, sub poena dupli de quanto lis ageretur, stipulatione praemissa et refectione omnium damnorum interesse et expensarum litis et extra. Confitentes dictus Dominus Marchio et dictus Dominus Leo, dictum Commune et homines Carpeneti esse in vera et pacifica et quieta possessione vel quasi utendi pactis, capitulis, conventionibus suprascriptis nec non caeteris in hoc contractu contentis. — Et poena supradicta soluta vel non, quod omnia et singula suprascripta et retroscripta firma perdurent et perpetuo observentur, voluerunt et expresse approbaverunt, dictus Dominus Leo et Dominus Marchio, pro quibus omnibus et singulis firmiter servandis obligaverunt, praedicti Domini Marchio et Leo, praedicto Sindico Sindicario nomine, et mihi iam supradicto Notario, et nomine et vice Universitatis et hominum Carpeneti, stipulantibus et recipientibus, pignora omnia (45) eorum et cuiuslibet ipsorum bona, habita et habenda. Et inde praefatus Dominus Marchio et praefatus Dominus Leo, et Sindicus praedictus iusserunt et rogaverunt per me Notarium infrascriptum, et fieri publicum istrumentum unum et plura et tot quot fuerint opportuna melioranda si opus fuerit, consilio sapientis. — Et interfuerunt testes Dominus Antonius Malaspina (46), Dominus Guillelmus de Cocchonato (47), Dominus Valenzanus de Tillio (48) vocati et rogati.

Ego Guillelmus de Fallabrinis Imperiali auctoritate notarius, praedictis omnibus interfui et hanc cartam mihi iussam tradidi et subscripsi.

TERZO DOCUMENTO

Carpeneti fidelitas firmata serenissimo Duci Vincentio Gonzaga MDLXXXIX (1)

In nomine sanctae et individuae Trinitatis, patris filii et spiriti Sancti amen (2). Anno nativitatis Domini nostri Iesu Christi millesimo quingentesimo octuagesimo nono, indictione secunda et die secunda mensis Iulii. Actum in Acquensi Civitate, in Palatio episcopali et in Camera inferiori angulari, a mano dextra ingressus ipsius Palatii, circumdata via publica et platea eiusdem Palatii salvis aliis verioribus documentis.

Praesentibus ibidem multum Inlustre et Reverendissimo Domino Iohannes Francisco ex Comitibus Sancti Georgii et Blandrate, Episcopo Acquense, Inlustrissimo Domino Prospero ex Marchionibus Domo Gonzaga, Maximo Profecto Domus infrascriptae serenissimi Domini nostri: Inlustrissimo Domino Fabio Gonzaga filio quondam Inlustrissimi Domini Alexandri nobilissimis Mantuanis: Multum Inlustre Iureconsulto Domino Tullio Petrocinnio: multum Inlustri Comandatario, Domino Marcello Donato Comite Punzioni (3) consiliarius a secretis: Inlustri Domino Filerceo Cattaneo Camerario dicti infrascripti serenissimi Domini: Domino Aneheo Cizzolio Iure Utroque Doctore, omnibus nobilibus Mantuae. Nec

non Inlustri Domino Morverino Gattinaria Lignana, comite Valentino. Et inlustri Comite Domino Baldassarre Langusco, testibus notis, et ad hoc omnia et singula vocatis et adhibitis. In quorum et magistri Notarii publici praesentia: et ante conspectum serenissimi Principis, domini nostri Vincentii. Dei gratia Ducis Mantuae quarti et Montisferrati secundi. — Personaliter flexis genibus (4) constituti: nobilis vir Barettius Regiuffus et Fabbritius Zerbinus de loco Carpeneti, Acquensis diocesis, Sindici et Procuratores ad hoc specialiter deputati per Consules ac agentes, pro Universitate et hominibus loci Carpeneti. — De quorum sindicatu constat Instrumento publico confecto manu Egregii Antonii Zerbini Notarii pubblici dicti loci, sub die decima octava mensis Iunii, proxime praeteriti, penes me dimisso in pubblica et autentica forma. — Reverenter Suae Celsitudini exposuerunt, quemadmodum Ipsi iudices et procuratores, totaque Universitas et homines tam incolae quam originarii, tam mares, quam foeminae dicti loci Carpeneti hactenus fuerunt et sunt legales subditi et ligii Illustrissimorum Excellentissimorum quondam Dominorum Friderici et Margaritae coniugum et Francisci filii Marchionum (*è corrosa la pergamena*), Serenissimi felicis Recordationis Domini Duci Guillielmi filii Dei gratia Ducis Mantuae tertii et Montisferrati primi. Genitoris ipsius serenissimi Domini Ducis Vincentii. — Per successiva tempora, debitas iuraverunt fidelitates, praecipue Domino Duci Guillielmo, anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, indictione decima, et die decima mensis octobris, constante publico istrumento (6) recepto et tradito per Magistrum Dominum Ascelerium Cerrum ex nobilibus Alicis Notarium et Ducalem tum Secretarium, ibidem censito et viso, per me Notarium infrascriptum. Et modo cognoscentes dicti Sindici ac Communitas dicti loci, debitum suum habere et esse ut tum per debendum debitum praedicti Domini eius genitoris, quam per vigorem privilegiorum, ipsis serenissimis Dominis a Caesarea Maiestate concessorum: — Eumdem serenissimum Dominum Ducem Vincentium, tamquam unicum filium masculum, ac in utroque ducato praedicti quondam Domini Ducis Guillielmi legitimum successorem in suum verum, altum, supremum (7) et naturalem Dominum, in solidum recognoscant ac ei debitum fidelitatis iuramentum praestent. — Humiliter Suae Celsitudini supplicarunt ut dignetur et velit ipsos Sindicos Communitatem et homines tam incolas quam originarios, et tam mares quam foeminas ipsius loci Carpeneti in suos veros et fideles et liberales subditos, homines ligios acceptare, prout sunt et esse volunt et palam dixerunt et protestantur ac prompto alacrique animo recognoscunt. Offerentes si hoc placeat suis et quibus supra nominibus Suae Celsitudini debitum et solemne fidelitatis et obedientiae iuramentum praestare ac alia facere ad quae de iure tenentur et debent. Ipse autem serenissimus Dominus Dux dictorum Sindicorum preces benigne exaudiens, eosdem Sindicos et Procuratores totamque Communitatem et homines tam incolas quam originarios et tam mares quam foeminas dicti loci Carpeneti in suos veros et fideles et legales subditos, ac homines ligios acceptavit et acceptat (8). Qua acceptatione facta, praedictis Sindici et Procuratore, suis et antedictis nominibus, debitum et

solemne fidelitatis ligii homaggii et obedientiae Suae Celsitudini praestiterunt et praestant sacramentum.

Iurantes tam in suo, quam in aliorum nomine, omnium et quorumcumque hominum incolarum et originariorum dicti loci; alias ad Sancta Dei Evangelia sacrosanctis corporaliter tactis scripturis in manibus Suae Celsitudinis existentibus, Qui ipsi Sindici et Procuratores ac Universitas et homines praedictis, incolae, quam originarii, tam mares, quam foeminae, erunt semper et ubique Celsitudini Suae eiusque serenissimi in dicto Montisferrati Statu successoribns, boni, veri fideles ac legales subditi, ac homines ligii. Nihil unquam dicent, facient, et tractabunt vel machinabuntur, neque consentient dicenti, facienti et tractanti, ac machinanti aliquod quod si contra personas, honores, dignitates, Status, Iura et Dominia Suarum Celsitudinum vel quod huic homaggio vel fidelitati derogare valeat (9). Immo si talia dici fieri vel tractari sentirent (10) totis viribus impedient ne fiant, et nihilominus ea omnia personaliter, seu per litteras, seu per fidum nuncium fideliter et cito Suae Celsitudini significabunt. Status, honores, dignitates, Iura et Dominia Suarum Celsitudinum, tam in Communi quam in particulari, pro posse defendent, augebunt et manutenebunt. Et demum omnia alia et singula dicent, facient et observabunt, et adimplebunt, pro praecepto Serenissimo Domino et suis praedictis, quae boni fideles, ligii et legales subditi pro vero, alto et naturali Domino facere tenentur et debent, et quae in capitulis veteris et novae ferme fidelitatis plenius continentur. — De quibus omnibus et singulis Ipse Serenissimus Dux Vincentius iussit, et dicti Sindici et Procuratores rogarunt et rogant per me Notarium infrascriptum publicum fieri instrumentum et plura dictare sapiendo et extendendo quatenus expediat.

VISTUM SENARDI.

Ego Albertus Paltnus filius quondam nobili Francisci de Ozano, civis et Notarius publicus collegiatus Casalensis, et Imperiali auctoritate creatus ac Ducali, Senatus Montisferrati Cancellarius, personaliter interfui et rogatus hoc instrumentum fidelitatis, licet aliena manu scriptum confeci et imbreviavi et pro fide me subscripsi ac signum mei tabellionatus apposui consuetum.

QUARTO DOCUMENTO

Salvaguardia data al Comune di Carpeneto.

Noi Eugenio, Prencipe di Savoia e di Piemonte, Marchese di Saluzzo, Consigliere di Stato, Presidente del Consiglio dei Ministri, del Consiglio aulico di guerra, Maresciallo di Campo, Colonnello di un Reggimento di Dragoni, Generale Comandante delle Armi di Sua Maestà Cesarea in Italia, e Cavaliere del Toson d'oro, ecc.

Havendo noi accolto sotto l'Augustissima protezione di Sua Maestà Cesarea la terra di Carpeneto, con tutte le case, cassine, mobili, vini, grani, bestiami ed altre dipendenze di essa,

Ordiniamo a tutti ed a qualsivoglia officiale e soldato di Sua Maestà Cesarea, sì a piedi, come a cavallo in generale, ed in particolare ad ogni altra persona militare sottoposta al nostro comando che vedrà questa nostra patente protezionale e salvaguardia; di non molestare, aggravare et estorquere alcuna cosa, e sotto qualsivoglia pretesto, dalla suddetta terra di Carpeneto. Intendendo e volendo che la medesima terra sia considerata e distinta come da Sua Maestà Cesarea specialmente protetta ed accolta sotto il suo imperiale patrocinio. Vegga ciascuno adunque di osservare, ubbidire, rispettare, e fare che sia rispettata questa protezionale e salvaguardia. E chi contraverrà o userà violenza e simili, o si introdurrà violentemente o in qualunque altra maniera nella suddetta terra di Carpeneto, sarà severamente castigato, senza eccettuazione di persone e di condizione. Ricerchiamo ancora tutti gli altri, al nostro comando non sottoposti di qualesiano condizione, stato e dignità, o preminenza di volere, in riguardo nostro, considerare la presente protezionale e salvaguardia, ed esimere di ogni aggravio e molestia, sicuri di farci piacere e di essere da noi corrisposti in simili ed altre circostanze.

Dato dal campo imperiale a Castel Ciriè li 19 ottobre 1706.

Demnach in der Rom: Kay: auch Zu Hungarn Boheimb Koniglichen May; unsers allegnadisten Herrns absonderlicge Protection und Salvaguardia *(parole cassate e inintelligibili)* Carpeneto als Wolle und solle man selbe auch daruor respectiren alle befindiche sachen Wie die nahmen haben mogen unberüher lassen oder sonsten, Keinen schaden anthuen Wdrigen falhs sich ein jedwe derer vor unausbleibender und scharpfer straff Zuhvetten Wisen Wird.

EUGENIO VON SAVOYE

NOTE AL PRIMO DOCUMENTO

(1) Il Marchese Giangiorgio di casa Paleologa fu l'ultimo di essa. Morì nel 1533 (un anno dopo il presente accordo da lui fatto coi Carpenetesi), il giorno avanti il suo matrimonio con Giulia d'Angiò figlia d'Isabella. Succedette a lui Margherita sua sorella maritata a Federigo Duca di Mantova, il figlio dei quali Guglielmo fu primo Marchese di Monferrato di Casa Gonzaga. A lui giurarono fede i Carpenetesi nel 1567.

(2) Il Monferrato si stende dagli Apennini liguri presso Savona al Po, dividendosi in Alto dagli Apennini al Tanaro, e in Basso dal Tanaro al Po.

(3) Famiglia ora spenta. Contò molti uomini insigni per lettere e per valore militare. Rimane ancora il nome di lei ad una via in Carpeneto, che ora barbaramente è battezzata Polcevera.

(4) Giangiorgio come se avesse presentimento d'essere l'ultimo dei Paleologhi, ratifica e sanziona il patto di Teodoro, che fu il primo di essi, per lasciare buon esempio ai Gonzaga che i tempi costrinsero ad essere tiranni.

NOTE AL SECONDO DOCUMENTO

(1) Teodoro Paleologo era figlio di Andronico e di Iolante o Violante ultima degli Aleramici, maritata allo Imperatore bizantino. Appena venuto in Monferrato per la via di Genova nel 1305, pare che proprio sul limitare del suo dominio facesse questo patto coi nuovi vassalli. Governò con savie leggi e con bontà fino al 1338. Scrisse un libro di ammaestramenti della guerra in greco, lo tradusse in latino. Si pubblicò in Vercelli.

(2) Vuolsi che l'etimologia del nome derivi dalla moltitudine dei Carpini che ivi erano.

(3) La casa comunale, il tribunale sono ancora adesso sulla piazza dell'Olmo o del Comune, dalla quale gli statuti volevano lungi i disturbatori durante il Consiglio Comunale.

(4) I Grilli di Capriata furono più tardi feudatari del paese.

(5) È una delle più antiche e nobili famiglie, ancora esistente.

(6) Consuetudini tutti i paesi ne avevano, e rimasero in tutto il dominio del regno di Sardegna fino alla venuta di Re Carlo Alberto, che stabilì che la legge fosse eguale per tutti nello statuto del 1848.

(7) Quantunque dica primogenito, fu il secondogenito che venne in Monferrato, il primo Andronico rimase a Costantinopoli erede del trono.

(8) Ferrazza è una tassa sull'uso dei ferri, degli utensili di ferro in generale.

(9) Leudi erano i compagni dei duci germanici in vita e in morte. Erano uomini richiesti dai feudatarii pel servizio militare.

(10) *Guaita* significa guardia, soldato a piedi. I leudi per lo più erano a cavallo. Il cognome Guaita è numerosissimo in Piemonte.

(11) I lavori del Comune erano: fare strade, murare bastite, ammucchiare pietre, ecc., i quali poi non furono più fatti da tutto il popolo, ma da alcuni solamente, ai quali davasi compenso in denaro.

(12) Alle porte erano le Gabelle, le quali allora producevano assai più d'ora, giacchè era tassata, per così dire, perfino l'aria.

(13) Il castello di Carpeneto era nella parte centrale e più alta del paese, cinto di mura era l'ultima difesa dopo che erano caduti nelle mani del nemico i borghi ed il paese stesso.

(14) Il diritto di fare testamento fu dapprima nullo, perchè il feudatario era padrone di tutto e di tutti; più tardi si diede sotto certe restrizioni permesso di far testamento ai soli leudi od ai valvassori, ed ai valvassini, finalmente poi a tutti.

(15) Non si aveva paura che il re ereditasse in mancanza di eredi o di testamento come nel viaggio di Sterne temeva il povero Yorik.

(16) Il piccolo Comune di Carpeneto nel 1305 era meglio ordinato di qualunque moderna Città d'Europa o d'America prima del 1789.

(17) Chiavario era quel magistrato che a Firenze si chiamava delle Grascie. Teneva le chiavi delle porte e delle case del Comune, esigeva le tasse, pagava i magistrati, regolava l'amministrazione del paese.

(18) Il Monferrato non fece mai rivoluzione contro gli Aleramici. nè contro i Paleologhi: il governo che godeva Carpeneto non era forse costituzionale?

(19) *Taleam*, taglia, forse dal segnare sopra una verga con piccoli tagli la somma da pagarsi.

(20) *Fodrum*, dal tedesco *fodr*, vale ogni tassa od imposizione. Poi significò un turpe abuso dei feudatarii sulle giovani spose, il quale fu poscia cambiato in denaro. Mio padre conobbe ancora uno sposo che aveva pagato a Sanmarzano questo diritto in denaro.

(21) Mercanteggiare, comprare, vendere era in quel secolo un privilegio: molte volte i mercanti aveano la licenza dai feudatarii, e poi erano dai valvassori o dai valvassini spogliati.

(22) *Posse* valeva il possedimento del paese.

(23) Numerosissimi erano i pedaggi, quanto almeno le mancie sulla sponda del Reno: si pagava all'entrare e allo uscire del paese: ai ruscelli, ai fiumi, agli sbocchi dei monti. A Carpeneto ci sono ancora due luoghi detti Pedaggio, uno verso Alessandria, l'altro al borgo detto Corrieri dal fermarsi che ivi facevano i corrieri a ricevere la corrispondenza fra il Regno Sardo e la Repubblica Ligure.

(24) *Carraria* era il diritto di avere bovi e il carro e la obbligazione di portare *gratis* al feudatario tutto ciò che gli fosse piaciuto.

(25) Maletotto. Ignoro che cosa si voglia qui intendere. Mi manca il dizionario del Ducange della bassa latinità.

(26) Trisobio distante un'ora da Carpeneto, dove esiste ancora una canzoncina in disprezzo di quel paese.

(27) Montaldo a ponente di Carpeneto è distante mezz'ora. Fu feudo degli Orsi ed abitato dai Bianchi Alessandrini in odio a Carpeneto che li aveva esclusi per legge.

(28) Rocca ora detta dei Grimaldi dalla famiglia di questo nome che la signoreggiò, anticamente chiamossi Rondanaria. Nel 1796 fu salvata dai briganti per opera ed aiuto dei Carpenetesi.

(29) Anche oggidì questi tre paesi dipendono per la Pretura e per la leva da Carpeneto, il quale è in mezzo ad essi.

(30) La tassa sul macinato come si vede è antichissima, ma bisogna notare che allora non c'erano tutte le tasse d'oggi.

(31) La tassa sulla caccia è antica e diffusa: a Firenze in un giorno dato anche i pescatori dovevano pescare per il proconsolo. I feroci di polizia del governo borbonico avevano di loro propria volontà posta questa tassa sui cacciatori calabresi.

(32) Si cacciava anche collo sparviero, ed era solito che la parte migliore si regalava spinte o sponte al feudatario.

(33) Ecco l'*Habeas corpus liberum* dei Carpenetesi e la cauzione molto tempo prima di tutte le leggi relative a ciò in ogni paese.

(34) Ed insieme anche la obbedienza alla legge. Che contrasto colle tirannidi straniere venute dopo, e questa antica sapienza italiana!

(35) Maleficio era delitto di leso governo, o di lesa religione; era proprio del feudatario il punire questi delitti.

(36) Angarò prima significò in persiano corriere, poi diritto di requisire cavalli e uomini per fare sollecito il servizio della posta. Quindi angheria volle dire sopruso, estorsione, imposizione.

(37) Sotto questi titoli di rose, di cuffie da darsi alle principesse si intendeva la tassa imposta per avere denaro da comprare questi oggetti.

(38) Bandita la guerra ogni Comune vi concorreva, mantenendo e vestendo per sei mesi gli uomini da lui richiesti.

(39) Ivi ancora adesso si amministra la giustizia dalla Pretura, il cui Ufficio fu sempre nel palazzo comunale.

(40) Il signore di un paese poteva essere uno e castellano un altro, e talora avveniva che tre o quattro erano consignori di un paese.

(41) Perchè ai nostri giorni non si può fare anche così? Ma se si ricorre è *in vanum laboraverunt.*

(42) Qui sì che si vede che tutti erano uguali alla legge! Il Deputato Billia, che parecchi anni fa voleva che anche le terre della corona pagassero tassa, non diceva cosa nuova ed inusitata.

(43) Era vincolata anche la facoltà del signore di fare sue rocche e castella.

(44) Questa medesima facoltà hanno le Camere dei Comuni e dei Lordi di Inghilterra ed avevano gli Stati generali di Francia.

(45) Anzi si va più in là, si hanno i pegni in mano ove il capo dello Stato venga meno al suo dovere.

(46) Malaspina. Uno dei membri di quella grande e potente famiglia, forse fratello di quel Francesco che nel 1306 accoglieva l'esule Alighieri.

(47) Cocconato è paese del Monferrato, Provincia di Casale.

(48) Valenzano di Tiglio fu uno dei cortigiani e dei grandi feudatarii, assiduo compagno di Teodoro.

NOTE AL TERZO DOCUMENTO

(1) Vincenzo Gonzaga fu il secondo duca di Monferrato. Nel 1627 mancò la stirpe dei Gonzaga, e nacquero terribili guerre per la successione. Carlo Emanuele I ebbe nel 1630 l'Alto Monferrato: nel 1714 dopo il trattato di Rastad ebbe il Basso Monferrato con la Lomellina fino al Gravellone.

(2) Si sente già la differenza dai tempi franchi e forti ai tempi bachettoni.

(3) Punzone è fortificatissimo castello nel Circondario d'Acqui posto sopra il cucuzzolo di un monte.

(4) Le ginocchia piegate ricordano già la servilità del 600.

(5) Zerbino è casato esistente ancora numeroso a Carpeneto.

(6) Ogni nuovo principe voleva rinnovato per la sua persona il giuramento di fedeltà da ogni singolo paese.

(7) Queste servilità non sono nell'istrumento fatto nel 1305, in due secoli come era peggiorato il carattere italiano!

(8) E queste burlette di giovane sposa che fa il Duca Vincenzo nello accettare, nel degnarsi di prendere ciò che era suo, sono proprio amene.

(9) E i popoli si mostrano vilissimi quando non solo baciano la mano che li percuote, ma vogliono ancora spontaneamente fare la spia, e a ciò si obbligano per istrumento.

(10) Questa ultima parte della convenzione, ad onore del vero, non la osservarono mai nè i Gonzaga, nè i popoli, quelli tiranneggiarono, questi si rivoltarono molte volte.

NOTE AL QUARTO DOCUMENTO

Eugenio dei Principi di Savoia Soissons discendeva da Tommaso figlio di Carlo Emanuele I. Era savoiardo, e perciò francese, voleva tenersi italiano e serviva alla Casa austriaca degli Asburgo-Lorenesi. Perciò egli si firmava con una parola delle tre lingue: italiana, tedesca, francese, Detta salvaguardia è bilingue, perchè due erano le lingue officiali dell'esercito imperiale, la tedesca e l'italiana.